Cracovien. Exemptionis

SUPER

Bono Jure.

In Rota diei 23 Junii 1777. responsum
Constare de bono jure
Prepositi Generalis etiam
ad effectum manutentionis.
Vide Decisionem ab initio hujus Operis.

Stantibus &c.

Dubium = *An, & de cujus bono Jure constet etiam ad effectum Manutentionis in casu &c.*

1 Rev. Pater. QUI nascente cum Fide, & amplissima cum Exemptione ortus est, plurimumque inclaruit antiquissimus Ordo Canonicorum Regularium *Sancti Sepulchri*, illum post tantam Sæculorum revolutionem in servitutem redigere, & ejusdem Exemptionis spoliare beneficio hodiè primùm contendit Episcopalis Curia Cracoviensis. Sed ardua hujusmodi provincia non aliter poterit exadverso superari, nisi prius deleantur tum Apostolica Privilegia, tum Cracoviensium, aliorumque Episcoporum solemnes Agnitiones, tum Regum Polonorum præclarissima Testimonia, tum Sacrarum Congregationum iterata Responsa, tum Summorum Pontificum frequentissima Decreta, tum publicarum etiam Inscriptionum monumenta, tum Rerum maturrimè judicatarum maxima Auctoritas, tum immanis temporis locupletissima Observantia.

2 Porrò ad Apostolica, quod pertinet Privilegia, vetustissimum est illud *anno* 1143. obsignatum *a Cælestino II.*, omniumque tunc temporis Cardinalium approbatione munitum. Patet ex eo non solùm susceptio totius Ordinis sub immediata Sanctæ Sedis protectione, sed prohibitio etiam, ne quis ipsius Personas, Possessiones, & Bona aliquo modo perturbare, vel aliquibus afficere molestiis auderet: Idque non alia de causa, nisi ut Bona eadem *firma, & illibata manerent, atque integrè conservarentur eorum, pro quorum gubernatione, & substentatione concessa erant, usibus omnimodis profutura*, quemadmodum ex verbis ejusdem Apostolici Privilegii in *præsenti Summario Additionali numer. primo litt. A. B., & C.*

3 Nemini tamen sit suasum, quod nostrum Ordinem, ejusque Personas, & Bona primus omnium exemerit ab alia quacumque potestate, & protectioni unius Sanctæ Sedis subjecerit Cælestinus II. Id enim jam constituerant *Honorius II.*, & *Innocentius II.*, postque laudatum Cælestinum II. constituerunt etiam *Lucius II.*, & *Gregorius III.*, veluti non obscurè habe-

habetur ex Alexandri III. Constitutione in *Summario Additionali num.2. litt.A.* Ipse verò *Alexander III.* in sua hac peculiari Constitutione nedùm confirmavit omnia, quæ statuerant memorati Pontifices decessores, verum strictius mandavit, quod *Patriarcha* nihil posset attentare sine consensu Capituli, & Canonicorum nostri Ordinis, quodque nemo alter ad *Patriarchatum* eligi deberet, nisi qui esset de gremio eorumdem Canonicorum, *Summario Additionali d. numer.2. litt.A.B.C.* Hisce præterea singulis robur amplissimæ Confirmationis eo usque addidit *Cælestinus III.*, *ut salva Sedis Apostolicæ auctoritate, & Patriarchæ reverentia*, cæteris cunctis omnimodam ademerit potestatem, *Summario Additionali numer.3. litt.A.B.C.D.E., & F.*

4 Nec mirum, si noster laudatissimus Ordo adeò carus Summis Pontificibus, adeoque erat acceptus. Ejus namque exemplaris vivendi ratio ità universam Hyerosolimam, ubi initium habuit, ipsiusque impleverat Vicinitates, ut celeberrimus quidam Princeps nomine *Jaxa Griphius* post longam, arduamque peregrinationem cum esset è Terra Sancta in Poloniam, undè discesserat, *anno* 1162. reversurus, nihil impensiùs curaverit, quam unum, & alterum ex Canonicis ejusdem nostri Ordinis secum adducere, eisque in Oppido *Miechoviæ*, quod suum erat, conspicuam Ecclesiam, conspicuumque excitare Cœnobium, ut tradit *Cromer. de Reb. gest. Polon. lib.6.*, *Fontan. nella Stor. degl'Ord.Relig., e Milit. Anno* 1737. *pag.* 128. *Tom.2.* ibi = *Un Gentiluomo Polacco nomato Jaxa avendone altresì condotti da Gerusalemme in quel Regno di Polonia nel* 1162., *fondò loro un Monastero in Miechovv luogo distante da Cracovia otto leghe.*

5 Ex hujusmodi Cænobio ideò *Miechoviensi* appellato, quia situm in dicto *Miechoviæ* non ignobili Oppido, plures sub eodem Instituto habuerunt originem Regulares Conventus, & quidem non in Polonia tantum, sed in Germania etiam, aliisque in Regnis benè multis. Quamobrem ipsum *Miechoviense Cænobium propter sui excellentiam, ac vetustatem non solum omnium Cænobiorum suæ generationis, & Ordinis, quæ in Regno Poloniæ extant, verum etiam omnium, quæ in Galliis, Hispaniis, Anglia, Dacia, Napulia, Germania, & Hungaria consistunt, juste, & recte vocitari assuevit Vertex, Cardo, & Caput, cum omnia ab hoc uno originem acceperint, & generationem*, ut totidem verbis testatum reliquit *Joannes Dugloss. apud Samuel. Nakielski in Promptuar. Antiquit. Ord. S. Sepulchr. fol.*450.

6 Inhærentes hinc Antecessorum vestigiis non destiterunt Pontifices successores universum nostrum Ordinem, idemque *Miechoviense* Cænobium novis decorare, eisque amplioribus Privilegiis. Sanè *Urbanus IV.* non poterat disertioribus verbis confirmare Exemptionem ipsius nostri Ordinis, eam-

que

que declarare plenariam ab omni Episcoporum, aliorumque Superiorum potestate, & jurisdictione, quemadmodum ex *præterito Summario num.2. litt. A. B. C.* ibi = *Hinc est, quod Nos universos Prioratus, Ecclesias, Domus, Præposituras, & omnia Loca etiam subjecta Ecclesiæ Hyerosolimitanæ, tam in Transmarinis, quam in Cismarinis Partibus constituta, & Personas ipsarum AB OMNI JURISDICTIONE, ET DOMINIO Archiepiscoporum, ac Episcoporum, Archidiaconorum, & quorumlibet aliorum Ordinariorum, & Ecclesiarum ipsorum PENITUS auctoritate præsentium EXIMIMUS, ità quod Prioratus, Domus, Ecclesiæ, Præposituræ, & Loca prædicta cum Personis ipsarum ROMANO DUMTAXAT PONTIFICI, & Patriarchæ Hyerosolimitano, qui pro tempore fuerit, ac etiam nobis PER OMNIA sint subjecta; & quod Archiepiscopi, Episcopi, & Ordinarii prædicti Censuram Ecclesiasticam, seu JURISDICTIONEM ALIQUAM in dd. Prioratibus, Domibus, Ecclesiis, Præposituris, Locis, & Personis præfatis NEQUEANT exercere.*

7 Eadem omninò verborum latitudine, & efficacia nostri Ordinis relatam Exemptionem non solum confirmavit, sed renovavit etiam *Eugenius IV.*, declaravitque insuper, ut omnes Actus, qui contra illius amplitudinem attentati eo usque fuerant, vel attentari in posterum quoquo modo, aut prætextu contingerent, nullius essent roboris, & firmitatis, *præterito Summario n.3. litt. A. B. C. E. D.* Unam, atque alteram Urbani IV., & Eugenii IV. expositam Constitutionem, necnon cætera cuncta per alios quoscumque Antecessores Pontifices tributa Exemptionum Privilegia plenissimè approbavit *Pius II.*, mandavitque etiam, ut cum omnibus, & singulis eorum Clausulis perpetuam haberent exequutionem, & observantiam, sicuti videre latiùs est in *præt. Summ. n.4. litt A.*, & *B.*

8 Amplissima hæc Exemptionum recensita Diplomata ad nostrum pertinent universum Ordinem. Sed non deficiunt Privilegia etiam particularia, quibus Summi Pontifices nominatim complexi sunt *Miechoviense* Cænobium, atque illud cum omnibus suis Membris ubique existentibus uberiùs confirmarunt exemptum a quacumque Ordinariorum subjectione, & dependentia. Hujus profectò generis est ipsius *Urbani IV.* peculiaris Bulla, de qua in *præterito Summario num.5. litt. A.*, & *B.* ibi = *Hinc est, quod nos Ecclesiam vestram DE MIECHOVIA, & omnia ipsius MEMBRA existentia in Polonia, Boemia, Sclavonia, Russia, Hungaria, & Teutonia AB OMNI JURISDICTIONE, POTESTATE, AC DOMINIO Archiepiscoporum omnium, & aliorum quorumlibet Prælatorum, seu Capitulorum, & omnium Ecclesiasticarum Personarum TOTALITER, ET PERPETUO' auctoritate Apostolica EXIMIMUS, ita quod nec dicti Archiepiscopi, & Episco-*

pi, seù Prælati, Capitula, Ecclesiasticæque Personæ dictam Ecclesiam vestram, & MEMBRA ipsius utpotè ab illorum Jurisdictione PRORSUS exempta, vel Vos, aut Personas omnes Domino servientes in illis, & IMPOSTERUM servituras, communiter, vel divisim interdicere, suspendere, vel excommunicare valeant, aut aliàs QUOCUMQUE MODO in Vos, & Ecclesias vestras, Membraque prædicta, & Personas eorum POTESTATEM, VEL JURISDICTIONEM ALIQUAM EXERCERE.

9 Hujusmodi particularis Bulla, quam tanta cum maturitate, & Exemptionis redundantia edidit Urbanus IV., specialissimo Confirmationis robore muniri indè promeruit a *Gregorio XI.*, veluti patet *ex præterito Summario dicto num. 5. litt. C.*. Rursus eadem ipsa Bulla *anno* 1421. diligentèr recognita, seriòque examinata in suo Originali apud Apostolicam hanc Cancellariam, cum depræhensa fuerit undique subsistens, meritòque tributa, ideo illam approbare ex certa, & deliberata scientia, simulque communire renovationis patrocinio, atque omnibus aliter judicandi potestatem adimere non dubitavit Pontifex Maximus *Martinus V.*, quemadmodum ex ejus Apostolicis Litteris *in præt. Summ. n. 6.*

10 Et hinc est, quod *Innocentius* hujus nominis *Papa VIII.* utcumque de *Anno* 1489. quamdam obsignaverit Bullam circa suppressionem Ordinis Sancti Sepulchri, ut ejus Bona unirentur Religioni Equitum Melitensium, qui ea tempestate strenuè pugnabant pro Christi fide, non indè tamen aliquid accepit detrimenti noster Ordo quoad Monasteria per universam Poloniam latè diffusa. Siquidem eam suppressionem suas exercuisse vires respectu dumtaxat Ecclesiarum, & Cænobiorum, quæ sedebant in Italia, atque ulteriori Sicilia, narrat, & testatur *Gabriel. Pennot. in Histor. tripartit. Lib. 2. cap. 67.*, *Fontan. dict. Tom. 2. fol.* 141. = ibi = *Quindi è probabile, che non si parlasse ancora de Cavalieri del S. Sepolcro, al di cui inalzamento servì di base la ruina de Canonici del medesimo S. Sepolcro, li quali furono in realtà soppressi in Italia, in Francia, ed in Fiandra, ed uniti li loro Beni all' Ordine di S. Giovanni di Gerusalemme, eccettuato IN POLONIA, ove questi Canonici SI SONO SEMPRE MANTENUTI* =, *Samuel. Nakielski in d. Promptuar. Antiquit. Ord. S. Sepulchri fol.* 152. = ibi = *Consequentium tamen Pontificum singulari gratia, & favore in aliis Christiani Orbis partibus, utpotè in Germania, Boemia, Hungaria, POLONIA, & alibi idem Ordo in sua observantia tranquillè conservatus esse noscitur.*

11 Idque adeò verum, ut *Anno* 1506. Generalis Præpositus Miechoviensis cum timeret, ne tractu temporis Innocentiana suppressio inferre suo Ordini aliquid posset detrimenti, preces ille obtulit Summo Pontifici *Julio II.*, exhibitisque omnibus hucusque recensitis Privilegiis, eumdem rogavit, ut ea con-

confirmaret, atque Ordinem Sancti Sepulchri farctum in Poloniæ Regno, tectumque servaret, *præterito Summario numer.7.*. Procul ab omni suppressionis voluntate facilè annuit Supremus Pontifex, ipsique Præposito Miechoviensi Litteras dedit Apostolicas, quibus *omnes libertates, & Immunitates a prædecessoribus Romanis Pontificibus sivè per Privilegia, vel aliàs concessas, nec non Exemptiones auctoritate Apostolica confirmavit*, ut sunt laudati Pontificis individua verba *in præt. Summ. num.8.*

12 Quod præstiterat Summus Pontifex *Julius II.*, id post annos multos ab Innocentiana suppressione præstitit etiam alter Pontifex Maximus *Leo X.*. Quandoquidem ipse *Anno* 1520. binas direxit Apostolicas Bullas ad Generalem Præpositum Miechoviensem. Earum altera expresè confirmavit relatam Bullam *Urbani IV.*, & graviorem insuper addidit prohibitionem *omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis, ne ipsi per se, vel eorum Ministros in dictum Præpositum, & Fratres, ac alios Exemptos Jurisdictionem, Superioritatem, Correctionem, Visitationem, Dominium, aut Potestatem aliquam exercere, vel aliàs Exemptos hujusmodi quovis modo directè, aut indirectè inquietare, seú perturbare auderent*, uti legere latius est *in præterito Summario num.9. litt.B. C.*. Altera verò Bulla nedùm eosdem *Præpositum, & Fratres Sancti Sepulchri cum omnibus Bonis sub Beati Petri, & Sanctæ Sedis protectione suscepit*, verùm etiam confirmavit omnia, & singula Privilegia, quæ decessores Pontifices eo usque tribuere dedignati non fuerant, *præt. Summ. num.10.*

13 Quin etiam idem Pontifex *Leo X.* cum animadverteret, jampridem extinctam dignitatem Patriarchæ Hierosolymitani, quem veluti eorum Superiorem respiciebant Canonici Sancti Sepulchri, tertiam evulgavit Bullam, eaque Generali Præposito Miechoviensi dissertissimè confirmavit omnem potestatem, & jurisdictionem *visitandi Domos, Prioratus, & Ecclesias sui Ordinis jam constructas, & construendas, ac illorum Personas tam in CAPITE, quam in MEMBRIS corrigendi, & puniendi, & absque Locorum ORDINARIORUM licentia electiones in Locis sibi subjectis pro tempore factas approbandi, confirmandi, cassandi, & corrigendi, ac Domibus, & Locis hujusmodi de Personis idoneis providendi, ac ejus AUCTORITATE Loca, & Canonicales portiones inibi erigendi, & de illis etiam providendi, ac Rocchettum Fratribus dicti Ordinis concedendi, & tradendi, ac omnia, quæ pro tempore PRIOR GENERALIS facere, & exercere posset, faciendi, & exercendi*, ut verbis hisce, aliisque plenioribus se pandit eadem Bulla in *præt. Sum. n.11.*

14 Omnes autem hujusmodi Bullæ, & omnia hujusmodi Apostolica

lica Privilegia , de quibus usque adhuc disseruimus , cum fuerint hac nostra ætate , nimirùm *Anno* 1680. in medium denuò allata a Præposito Generali Miechoviensi , atque illorum desuper petita Confirmatione cum placuerit Summo Pontifici *Innocentio XI.* requirere Sacram Congregationem Episcoporum , & Regularium , ex ejus maturrimo Voto non hæsitavit laudatus Pontifex easdem Bullas , eademque Privilegia approbare , ut uberrimè docuimus in *præterito Summario numer.*12. *litt. A.* = ibi = *Nos igitur ex Voto Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Negociis , & Consultationibus Episcoporum , & Regularium præpositorum , Privilegia , & Libertates , Immunitates , Gratias , Indulgentias , Exemptiones , Prærogativas , & Indulta hujusmodi , ac demum omnia contenta in dictis Litteris Apostolica auctoritate APPROBAMUS , illisque PERPETUÆ , ET INVIOLABILIS , AC INCONCUSSÆ FIRMITATIS ROBUR adiicimus .*

15 Post tantam ergo Privilegiorum multitudinem quis nobis jure succenset , si jam nunc conqueramur de apertissima calumnia contrariæ prætensionis ? Sed age , eisdemque Privilegiis accedant solemnes Agnitiones , quas in eorum comprobationem identidem exposuit ipsa Curia Cracoviensis , aliique Poloniæ exposuerunt Episcopi . Sanè *anno* 1386. cum Episcopus Cracoviensis coram Viris compluribus , eisque doctrina , ac nobilitate præclaris sedulò perpendisset Litteras Apostolicas *Urbani IV.* , & *Gregorii XI.* , illas redigi jussit in publicam formam , atque sui ipsius apposito Sigillo mandavit , ut huic Transumpto eadem omninò adhiberetur fides , quæ legitimo cuicumque Autographo denegari non solet , *præterito Summario num.*5. *litt. E. F. G. H.* . Id adamussim ipsum non solum quoad Bullas *Urbani IV.* , & *Gregorii XI.* , sed quoad alteram etiam *Martini V.* fuisse *anno* 1505. formiter constitutum per Officialem Generalem ejusdem Curiæ Cracoviensis, abundè constat *ex præterito Summario dicto num.*5. *litt. I. K.* . Huc pertinent Institutionum innumeri propemodum Actus . Pertinent huc Informationes quandoque datæ ad Sacram Congregationem Concilii . Huc etiam pertinent Concordata , quæ inter Summum Pontificem *Clementem XII.* , & Regem Poloniæ,ejusque Rempublicam inita fuerunt . Ex hisce enim solemnissimis Actibus , quos vel expleverunt , vel approbarunt Poloni omnes Episcopi , non obscurè habetur , Præpositum Miechoviensem in vim Apostolicorum Privilegiorum fuisse ab ipsis Polonis Episcopis perpetuo recognitum veluti Caput totius sui Ordinis , ejusque supremum , & absolutum Moderatorem , quemadmodum ex eisdem Actibus in *præterit. Summ. num.*33. 34. 35. 36. *litt. A.* , & 37. *litt. A.* , & *B.*

Ra-

16 Ratio non dissimilis, imò potior habenda est de Regum Polonorum amplissimis Testimoniis. Rex enim *Sigismundus* scribens *anno* 1549. ad Prælatos, & Capitulum *Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis*, eisdem significavit, quod noster Ordo Sancti Sepulchri ad formam suorum Privilegiorum erat penitus exemptus ab omni aliena Jurisdictione, NEQUE QUEMPIAM ALIUM, QUAM PRÆPOSITUM MIECHOVIENSEM IN SUPERIOREM AGNOSCEBAT, ut præcisa sunt ejus verba *in præterito Summario num.*26. Testimonium prorsùs consimile *anno* 1624. datum fuisse à Regia Majestate *Sigismundi III.* ad Carolum Archiducem Austriæ, & *Episcopum Uratislaviensem*, satis, superque constat *ex præterito Summario num.*27. *litt. A.*, & *B.* Eadem omninò ipsa *anno* 1667. obtestatus est Summo Pontifici alter Poloniæ Rex *Joannes III.*, idque ex publicis, quæ maturrimè recognoverat, Privilegiorum monumentis, *præterito Summario num.*28. *litt. A.*

17 Præclarissimis hisce Testimoniis adstipulantur Responsa Sacrarum Congregationum, necnon Decreta Summorum Pontificum, ac publica etiam Inscriptionum monumenta. Equidem Sacra Congregatio Rituum *anno* 1661. apertè respondit, dignitatem, & Jurisdictionem Generalis Præpositi Miechoviensis talem esse in universum illius Ordinem, qualem eidem privativè, & absolutè attribuunt Privilegia Apostolica, *præterito Summario num.*29. Responso non dissimili usa est altera particnlaris Congregatio, quæ *anno* 1718. fuit à Summo Pontifice deputata, *præterito Summario num.*30. Decreta verò Summorum Pontificum sunt in rem nostram longè urgentiora. Juxta tenorem namque Apostolicorum Privilegiorum quamvis Generalis Præpositus Miechoviensis assueverit capitularitèr eligi cum omnimoda, & absoluta potestate super ejus universo Ordine; Attamen Summi Pontifices non detrectarunt unquàm hujusmodi amplissimas Electiones suis approbare confirmatoriis Decretis, quemadmodum latissimè habetur ex *præterito Summario num.*23., 24., & 25. Quod demum pertinet ad publica Inscriptionum monumenta, sit pro cunctis Inscriptio illa, qua *Cyrillus ZuchousKi* hujusce Litis Auctor, & fautor præcipuus omnibus palàm fecit, æternæque tradidit memoriæ, Generalem Præpositum Miechoviensem ex Apostolicis Privilegiis esse Caput totius Ordinis, atque Ordinem ipsum fuisse semper exemptum à quacumque Episcoporum subjectione, *præterito Summario num.*32.

18 Emersi à Privilegiis Apostolicis, ab Agnitionibus Episcoporum Cracoviensium, aliorumque Polonorum, à Testimoniis Supremorum Poloniæ Regum, à Responsis Sacrarum Congregationum, à Decretis Summorum Pontificum, à Monumentis publicarum Inscriptionum, proximum est, ut ex proposito ordine accedamus ad Rerum maturrimè Judica-

tarum maximam Auctoritatem. Planè *anno* 1510. nostra hæc Exemptio judicialitèr recognita, & admissa extitit ab Archi-Episcopo Gnesnensi, uti constat ex indelebili Decreto, de quo *in præterito Summario num.*38. Sic etiam *anno* 1631. favore ipsius nostræ Exemptionis fuisse ab eadem Curia Gnesnensi in formali Judicio editum alterum consimile Decretum, patet *ex Summario præterito num.*39. Volvente itidem *anno* 1747. eadem Exemptio nostra fuit iterùm agnita, & declarata speciali Decreto Reverendissimi Nuncii Apostolici, illudque ratum quoque habuit ipse Archiepiscopus Gnesnensis, *præterito Summario num.*40.

19 Si qui verò ex Episcopis Cracoviensibus, aut ex Commendatariis Præpositūræ Miechoviensis in discrimen revocare aliquando tentavit adeò certam nostri Ordinis Exemptionem, ille quoque vacuus discedere à certamine debuit. Ità *anno* 1620. cum Cracoviensis Episcopus in DiœcesanaSynodo nonnulla edidisset Decreta, quæ vergere in detrimentum nostri Ordinis videbantur, ut id rescivit Generalis Præpositus Miechoviensis, statim Jura, & Privilegia sua in medium protulit, atque ità strenuè tùm coram Episcopo, tùm coram Provinciali Synodo, quæ deinceps habita est, vindicavit *Exemptionem, Possessionemque in Jure exercendi ordinariam suam Jurisdictionem*, ut facilè Episcopus ipse intellexerit, eadem Jura, & Privilegia eadem in discrimen adduci non posse, eaque propter mutato consilio, se ab edendis Decretis, quæ animo versabat, penitus abstinuit, *præterito Summar. n.*44. *litt. A. B. C. D. E. F.*

20 Pari ratione cumAbbas Commendatarius de *anno* 1719. exercere Jurisdictionem voluisset in Monasterium Miechoviense, ejusque Canonicos, delata est Controversia ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, duobus propositis Dubiis, quorum alterum extitit= *An Abbas Commendatarius habeat Jurisdictionem in Monasterium Miechoviense, ejusque Membra* =; Alterum verò = *An Monachis, qui sunt in Monasterio commendato, competat Jus eligendi Superiorem Regularem Generalem* =. Sacra itaque Congregatio sub hisce Dubiis requisita post accuratissimum examen respondit = *Negativè ad primum = AFFIRMATIVE' ad secundum* =, quemadmodum *ex nostro præterito Summario num.*45. Atque hujusmodi desuper re ne ulla imposterum recrudesceret dubitatio, cum Summus Pontifex *anno* 1725. voluerit Personæ sæculari commendare Præposituram Miechoviensem, Apostolico Decreto constituit, *Commendatario nullam in Canonicos Jurisdictionem dandam esse*, ut legimus *ex præterito Summario num.*46.

21 Solemnius extitit favorabile Judicium, quod nostra Exemptio promeruit in hoc Sacro Auditorio adversus Episcopum Præmisliensem. Quandoquidem plurimas inter Parochiales Ecle-

clesias nostri Ordinis recensetur illa Sancti Spiritus in *Przevvorsko* sub Diœcesi Præmisliensi. Cum autem vacaverit Ecclesia hujusmodi, Præpositus Generalis ad eam una cum Capitulo elegit, atque approbavit Presbyterum ex suis Canonicis. Insurrexit statim Princeps *Lubomirski*, sibi contendens Juspatronatus super eadem Ecclesia, insurrexitque simul Episcopus Præmisliensis, qui Ecclesiam ipsam non esse Conventualem, sed suæ esse Jurisdictioni subjectam cum omnibus Canonicis inibi degentibus, viriliter propugnabat. Acta Lis est coram Sacro hoc Auditorio sub Dubio = *An constet de Conventualitate Ecclesiæ Parochialis in Przevvorsko, seù potiùs DE ILLIUS SUBIECTIONE JURISDICTIONI EPISCOPALI ETIAM QUOAD PERSONAS* =; Respondit spectatissimum Tribunal = *Affirmativè ad primam partem, NEGATIVE' ad secundam* =. Ità porrò respondere non dubitavit, quia eidem plenissimè constitit; *quod Ordo Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri jamdiù amplissimis munitus fuit Privilegiis, & signanter ab Honorio II., Innocentio II., Cœlestino II., Gregorio XI., Bonifacio VIII., Urbano IV., & Leone X., quorum vigore ab Ordinaria Episcoporum Jurisdictione universus eximitur Regularis idem Ordo*, ut verborum hac conceptione disserit Decisio *in Præmislien. Præpositurœ super Conventualitate* 27. *Februarii* 1760. §.12. *coram Reverendissimo P. D. Decano*. Bis indè, & tertio reproposita Causa, stetit semper *in Decisis* laudatum Tribunal ad Sententiam usque definitivam, veluti patet ex Decisionibus confirmatoriis *dierum* 22. *Januarii* 1761., & 15. *Februarii* 1762. *coram eodem Reverendissimo P. D. Decano*, patetque ex ipsa definitiva Sententia, de qua *in præterito Summario num*.47.

22 Tanta verò Sacri Tribunalis constantia in approbatione nostræ Exemptionis videri mira non debet. Jam enim Sacrum ipsum Tribunal alias assueverat eamdem vindicare nostram Exemptionem in celebri Causa, cui Titulus, *Tyrasonen. Jurisdictionis, & Præeminentiarum*. Exarsit Causa eadem circa *annum* 1734., indèque prosequuta acerrimè extitit inter Episcopum Tirasonensem, & Collegiatam Ecclesiam *Sancti Sepulchri in Civitate Calatajubii*. Sed demùm præviis duabus *Decisionibus*, altera nimirum 30. *Januarii*, & altera 22. *Junii* 1739. *coram bon. mem. Canilliac*, obsignata est Rotalis Sententia, qua generaliter declaratum fuit, *Dominos Priorem, Canonicos, ALIOSQUE deferentes habitum SANCTI SEPULCHRI fuisse, & esse exemptos ab omnimoda Episcopi jurisdictione*, quemadmodum ex eadem Rotali Sententia in præsenti *Summario Additionali num*.4. *litt. A.*

23 En igitur Res solemnitèr judicatas non exterorum dumtaxàt Judicum, & Tribunalium, sed hujus etiàm Sacri Auditorii. Quid vero earum è conspectu sentiendum sit de Exemptione nostra, secum perpendant optimi Judices in jurisprudentia

Magiſtri. Nos interim progredimur ad immanis temporis locupletiſſimam Obſervantiam. De ea profectò dubitare non ſinit copioſiſſima multitudo Actuum juriſdictionalium, quos ad formam Apoſtolicorum Privilegiorum jugiter exercuerunt Miechovienſes Prępoſiti Generales. Inter hujuſmodi Actus juriſdictionales prætereunda non eſt libera illa poteſtas renovandi, deque novo etiam conſtituendi opportunas Leges pro recto, abſoluto, & independenti regimine totius Ordinis. Hanc verò poteſtatem fuiſſe ſine contradictione in generalibus Capitulis ſæpiùs explicatam ab ipſis Præpoſitis Miechovienſibus, & Leges ſive renovatas, ſivè ex integro conditas fuiſſe poſtmodùm exequutas, & approbatas etiàm a Summis Pontificibus, latè habetur in *præterito Summario num.* 13. 14. 15., & 16.

24 Libertas quoque viſitandi ex innumeris propemodùm Actibus manet in Facto comprobata Deſunt quidèm vetuſtiſſimę Viſitationes, quià earum monumenta perierunt abſumpta ex temporis edacitate, & varia ob incendia Archivii Miechovienſis; Sed quæ extant, quæque a nobis dantur, ſuam repetunt originem *à Sæculo decimoquinto*, atque illę expletæ ſunt vel ab ipſo Præpoſito Generali, vel ab ejus Commiſſariis in Eccleſiis, & Monaſteriis ubique po?tis, eiſdemque in Viſitationibus inquiſitum eſt diligentèr in vitam, moreſque Parochorum, ac multa, uti ferebat occaſio, reformatoria Decreta emiſſa fuerunt, *præterito Summario num.* 17., & *litt. A. ad litt. X.* Plena itidem ſunt documenta Pænarum, quibus Generales Præpoſiti in eorum Ordinis animadverterunt Canonicos. Hinc Privationes, hinc Remotiones, hinc Correptiones, hinc Excommunicationes, de quibus omnibus in *præterito Summario num.* 18.

25 Magnus paritèr eſt numerus Electionum, Reſignationum, Approbationum ad Beneficia utcumque Curata, nec non Deputationum Confeſſariorum, aliorumque Officialium, quas expletas ſemper fuiſſe a Generalibus Præpoſitis, liquet ex *præterito Summario dicto num.* 18. *litt. H. I. L. O. S. V. T. Z. AA. BB. CC.*, plureſque de facto proprio comprobant ſpectatiſſimi Teſtes *in eodem præterito Summario num.* 19. 20., & 21. Omittendi etiam non ſunt alii juriſdictionales Actus. Hùc enim ſpectat formula Profeſſionum, quas quilibet ex Canonicis ità emittere debet in manibus unius Generalis Miechovienſis, ut ei dumtaxat, ejuſque Succeſſoribus, & non alteri obedientiam voveat, *præterito Summario num.* 19., & *nu.* 20. *litt. A.*, & *num.* 22. Hùc paritèr ſpectant Litteræ Dimiſſoriales ab eodem Generali Miechovienſi dari ſolitæ ſuis Canonicis pro ſuſcipiendis Ordinibus a quocumque Antiſtite, quemadmodum *ex præterito Summario num.* 13. *litt. C.*, & *nu.* 19., & *num.* 20. *litt. C.*, & *num.* 21. *litt. B.* Demùm ſpectant hùc Capitulares Electiones quatuor Generalium Præpoſitorum

Mie-

Miechovienſium , eorumque Apoſtolicæ Confirmationes juxta Decretum Conciſtoriale , & Concordata inita cum Sancta Sede , *præterito Summario num.* 23. 24. 25. 37. 45. , & 46.

26 Hæc autèm omnia cum ita ſint , quis tutiſſimo in loco conſtitutam non credidiſſet Exemptionem noſtram ? Reque vera ſic perpetuò crediderunt , firmitèrque tenent adhuc omnes Poloniæ Epiſcopi , ſi unam tantum excipias Epiſcopalem Curiam Cracovienſem . Ejus namque Inſtigatori *anno* 1764. venit in mentem, inibi laceſſere Reverendiſſimum Florianum Buydecki tunc Generalem Præpoſitum , *quia non procurata Inſtitutione , uſurpativè regimen Eccleſiæ Generalis Miechovienſis apprehendiſſet* , ideoque inſtetit , *eamdem Eccleſiam pro vacanti declarari , & revocari tamquam uſurpativum titulum Generalis , & Capitis Ordinis* . Sed idem Præpoſitus cum ſeſe oſtendiſſet canonicè electum, atque a Summo Pontifice legitimè confirmatum in Generalem univerſi Ordinis , idcircò Lis in ipſo ortu ſuo extincta evanuit. Decennio tamen tranſacto , ſcilicèt *anno* 1774. , eadem Curia Cracovienſis iterùm excitata eſt opera , & ſtudio illius notiſſimi *Cyrilli Zuchouski*, qui excuſſo Regularis Obedientiæ jugo diem dixerat ejus Generali , ejuſque Ordini . Primùm hinc extitit in lucem revocata vetuſta , & conſopita Inſtantia *anni* 1764. , indeque multa nova contra Reverendiſſimi noſtri Generalis dignitatem , & juriſdictionem , contraque ſui Ordinis univerſalem Exemptionem propoſita injurioſiſſimè fuerunt , de quibus omnibus in *præterito Summario num.* 48. , & 49. *litt. D. I. K. L. M. N.*

27 Vetuſtiſſima ergò ſua Privilegia , ſuique Ordinis firmiſſimam Exemptionem vindicaturus,recurſum habuit Reverendiſſimus Præpoſitus Generalis ad Tribunal A. C. , impetrandumque curavit *Monitorium cum inhibitione ſuper obſervatione , & exequutione dictorum Privilegiorum , necnon ſuper Manutentione in poſſeſſione omnimodæ Exemptionis a juriſdictione Ordinariorum , & reſpectiva circumſcriptione Actorum omnium eatenus geſtorum in Curia Cracovienſi contra formam eorumdem Privilegiorum* , ut eſt tenor ipſius Monitorii *in præterito Summario num.* 50. Hujuſmodi tamen Monitorio , & Inhibitione hujuſmodi non obſtante , tria in Epiſcopali Curia Cracovienſi edita fuerunt Mandata , quorum *primo* Reverendiſſimus Prępoſitus Generalis prohibebatur , nè amplius celebrare *cum uſu Pontificalium* auderet in Eccleſia Miechovienſi , *præterito Summario num.*51. , & *litt. A.* Suſpendebantur *altero* omnes fermè Confeſſarii Eccleſiæ Miechovienſis ab officio audiendi Confeſſiones , licet ipſi approbati ab Epiſcopo antecedentèr fuiſſent , *præterito Summario dicto num.*51. *litt.B.*, & *C.* Declarabat *tertium* , Canonicos Monaſterii Miecho-

viensis in excommunicationem incidisse, cujus excommunicationis Edicta fuerunt etiam affixa ad valvas Ecclesiarum Poloniæ, *præterito Summario dicto num. 51. litt. D., & E.* Nè verò aliquid deesset contumeliarum, jussi sunt singuli Procuratores, & Notarii, ut nemo auderet suscipere defensionem ejusdem Præpositi Generalis, suorumque Canonicorum, *Summario dicto num. 51. litt. F., & G.*

28 Gravissimis hisce violentiis ut aliquod apponeret frænum Reverendissimus Generalis, censuit ab A.C. specialem obtinere Citationem *pro purgatione Attentatorum*, *& circumscriptione* eorum omnium, quæ gesta fuerant post *datum Monitorium*, *& Inhibitionem*. Sed opus adhuc erat celeriori remedio, ideòque coactus fuit idem Reverendissimus Generalis advolare *Varsaviam* apud Nuncium Apostolicum veluti Judicem Exemptorum, qui, audito Fiscali Cracoviensi, *prædicta omnia Mandata, & Citationes aliàs attentatè, & in spretum auctoritatis Sanctæ Sedis emanatas suspendit, & Causam ad AC. Superiorem inhibentem remisit, iterumque inhibuit, nè quicquam contra Recurrentes attentaretur, eosque a Censuris omnibus sublevavit*, quemadmodùm ex ejus Decreto *in præterito Summ. num. 52. litt. C. D. E.*

29 Decretum hujusmodi cum ferre æquo animo non valuerit Promothor Curiæ Cracoviensis, comparuit propterea coram Eminentissimo Pro-Auditore Sanctissimi, , & Circumscriptionem expostulavit, Causeque remissionem vel ad ipsam Curiam Cracoviensem, vel ad Sacram Congregationem Concilii, *præterito Summario num.* 53. Judex vero præstantissimus contrariam Instantiam delegavit Supremo Signaturæ Tribunali, *suspensis interim Censuris usque ad exitum Litis*, veluti ex eodem *Summario num* 53. *litt. A.* Ex Rescripto hinc plenæ Signaturæ cum fuerit *die* 14. *Septembris* 1775. remissa universa Controversia ad hoc Sacrum Auditorium *una cum Monitorio, & tamquàm in prima etiam cum facultate circumscribendi*, ideò tria oportuit concordare Dubia. *Primum* nempè super Manutentione *Exemptionis* in genere. *Alterum* super Manutentione *Exemptionis* circa ea, quæ pertinent ad Curam Animarum, & Administrationem Sacramentorum. *Tertium* denique super *Circumscriptione*. Duo priora Dubia proposita fuerunt in *Rota diei* 11. *superioris Aprilis*, rescriptumque extitit = *Dilata, & videatur de Bono jure etiam ad effectum Manutentionis* = In sequenti *Rota* dilata etiam extitit *tertii Dubii* Resolutio. Omnia reproponuntur hodiè, deque *primo* respiciente controversam *Exemptionem* in genere cum res sit in præsentiarum, non diffidimus, quin Sapientissimi Patres sint omninò responsuri = *Constare de Bono Jure Præpositi Generalis Miechoviensis, & Canonicorum Sancti Sepulchri* =, ut votis etiam deprecamur humillimis.

Jàm

30 Jam verò inflatis de more tibiis exageranda non est Juris assistentia, quam habet Episcopus super Monasteriis, & Locis quibuscumque Ecclesiasticis intra suam Diœcesim constitutis. *Quamvis enim fundata dicenda sit de Jure intentio Ordinarii super omnibus Locis intrà limites suæ Diœcesis positis, nihilominùs illa non potest suffragari, docto de particulari Exemptione Loci, seú Monasterii, de quo agitur; qua posita, illa universalis Jurisdictio de Jure Ordinario competens intra ambitum suæ Diœcesis remanet inexperibilis in Loco exempto*, ut contrariam limitando propositionem præcisè statuit *Rot. in Constantien. Jurisdictionis super bono Jure* 13. *Aprilis* 1714. *§. Derelinquentes coram clar. mem. Scotto*, perque eadem fermè verba *in Auximana super bono Jure* 21. *Junii* 1748. *§*.3. *coram bon. mem. Clemente*, & *in Conversana Jurisdictionis* 27. *Novembris* 1750. *§*.3. *coram bon. mem. de Vais*.

31 Potissimum verò si Exemptionis Privilegium proveniat ex suprema Sanctæ Sedis potestate. Siquidem *cum omnis Jurisdictio fluat à Sede Apostolica, quæ originarius ejus fons existimatur, utique venerandum est, si vel ipsa Apostolica Sedes Ditiones túm circumscripsit, túm coarctavit, aliquam illarum partem distrahendo, indulgendoque Inferioribus, vel si saltem simplicem in certa Loca, & Homines Jurisdictionem concessit. Tunc enim Exemptio, ea nempè Exemptio, quam præstantissimi Pontifices largiri voluerunt, id efficit, ut quiescat Ordinarii Jurisdictio, ne in Loca, Hominesque exemptos explicetur, efficitque prætereà, ut qui Jurisdictionem translatam habent, illa utantur intra limites suos*, quemadmodùm egregia hac disserendi formula docuit Sacrum Tribunal *in Ratisbonen. Jurisdictionis super Parochialibus Reservatis* 21. *Februarii* 1766. *§*.5. *coram Illmo Domino Olivatio*, priusque docuerat *in eadem Auximana super bono Jure* 21. *Junii* 1748. *dict. §*.3. *cor. bo. me. Clemente*.

32 In casu autem nostro non unum, aut alterum, sed plura, atque plura afferuntur amplissimæ Exemptionis Apostolica Privilegia. Summi enim Pontifices *Honorius II.*, *Cælestinus II.*, *Lucius II.*, *Eugenius III.*, *Alexander III.*, & *Cælestinus III.* unanimiter receperunt nostrum universum Ordinem *sub Beati Petri, & Sanctæ Sedis protectione*, mandaruntque simùl, ut *nulli omninò Hominum liceret ejus Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus Personas, Possessiones, & Bona auferre, vel ablata retinere, minuere, seú quibuslibet molestiis fatigare, sed omnia integra conservarentur eorum, pro quorum gubernatione, & substentatione concessa erant, usibus omnimodis pro futura*, ut sunt individua eorumdem Pontificum verba *in præsenti Summario Additionali numer.* 1. *litt. A.*, *numer.* 3. *litt. A. B. D. E.*

33 Quicumque autem non ignorat antiquam eximendi formam, qua primis Ecclesiæ Sæculis utebantur Summi Pontifices, ille

A 7 ne-

negare non poterit, quin ex relatis verbis perfectiſſima reſultet Exemptio favore noſtri Ordinis, ut vetuſtioribus congeſtis optimè *Pignatell. Conſult. Canonic.85. num.5., & ſeqq. Rot. in Marſicen., ſeù Nullius Juriſdictionis 7. Junii 1700. §. Clariùs coram bon. mem. Muto, in Nullius, ſeu Fulden. ſuper Præſcriptiva 11. Junii 1711. §.13. coram bon. mem. Caſarellio, in Conſtantien. Juriſdictionis ſuper bono Jure 13. Aprilis 1714. §. Cohærenter coram clar. mem. Scotto, ibi = Cohærenter ſubſequebantur vetuſtiſſima Privilegia Apoſtolica. De eodem enim anno ſanctæ memoriæ HONORIUS II. inter cætera decrevit, UT NULLI OMNINO' HOMINUM LICEAT PRÆFATAM ECCLESIAM TEMERE' PERTURBARE, AUT EJUS POSSESSIONES AUFERRE, VEL ABLATAS RETINERE, MINUERE, VEL VEXATIONIBUS FATIGARE, SED OMNIA INTEGRA CONSERVARENTUR CLERICORUM USIBUS OMNIMODIS PROFUTURA; cujus generoſa veſtigia inſequentes LUCIUS, ET EUGENIUS hujus nominis ſecundi, recepto Hoſpitali, & Eccleſia SUB BEATI PETRI, ET APOSTOLICÆ SEDIS PROTECTIONE, privilegium HONORII confirmarunt. EX QUIBUS QUIDEM VERBIS reſultare EXEMPTIONEM, in individuo nuper firmavit Rota &c.*

34 Accedente præſertim abſoluta illa libertate, quam circa diſpoſitionem Bonorum omnium ad univerſum Ordinem pertinentium ipſe *Alexander III.*, & ipſe *Cæleſtinus III.* ampliſſimè tribuerunt non uni tantùm Patriarchæ de gremio ejuſdem Ordinis eligendo, ſed Patriarchæ ſimùl, & Canonicorum generali Capitulo, *Summario Additionali num.2. litt.B., & C., num.3. litt.B. C. D.* Concipi enim, & verificari non poteſt hujuſmodi libera diſponendi facultas, niſi, Exemptione omninò ſuppoſita, de medio tollatur altera quæcumque Juriſdictio, undè exercitium ejuſdem liberæ facultatis poſſet aliquo modo manere præpeditum, ut arguit *Tamburrin. de Jur. Abbat. diſput.14. quæſt.4. num.1., Gratian. diſcept.3. num.27., & ſeqq., Petr. ad Conſtit. Apoſtolic. tom.3. Conſtit.28. Eugen.IV. num.3., Piton. Diſceptat. Eccleſiaſt. tom.3. diſceptat.61. num.89., Rot. in Conſtantien. Juriſdictionis ſuper bono Jure 13. Aprilis 1714. §. Cæterum coram clar. mem. Scotto, in Carpentoracten., ſeù Valreacen. Juriſdictionis 11. Junii 1728. §. Ex his autem coram clar. mem. Aldrovando.*

35 Spreta hinc replicatione, quod juxta diſpoſitionem notiſſimi *Text. in cap. Ex parte de Privilegiis* ſimplex receptio ſub protectione Sanctæ Sedis non inducat Exemptionem. Procedit enim hujuſmodi diſpoſitio, ubi receptio ſub protectione Sanctæ Sedis appareat elargita per ſimplicem modum enunciativum, nihilque prætereà addatur: Sed ubi Pontifex diſpoſitivè, & directè ſuſcipit, prout noſtro in caſu, aliquod Monaſterium, ſeù Ordinem cum omnibus ſuis Perſonis

ſub

sub immediata Sedis Apostolicæ protectione, atque addit ulteriùs, ut ejus Bona omninò libera maneant à quacumque aliena perturbatione, tunc nemini dubium, quin inducta sit omnimoda Exemptio, ut distinguendo egregiè *Barbos. de potest. Episcop. par.3. allegat.123. num.16., & seqq., Engel. in Jus Canonic. lib.5. tit.33. de Privileg. §.14. nu.28., Lotter. de Re Benefic. lib.1. quæst.24. num.1., Rot. in Nuperrim. decis.340. tom.6. num.6., in Constantien. Jurisdictionis super bono Jure 14. Aprilis 1714. §. Proindeque coram clar. memor. Scotto*, ibi = *Proindeque allegabilis visus non fuit TEXT. IN CAP. EX PART. DE PRIVILEG. ad ostendendum, quod simplex receptio sub Apostolica protectione non sufficiat pro eximenda Ecclesia à Jurisdictione Ordinarii. Quoniam animadvertebant Domini, dispositionem DICTI TEXTUS procedere, vel ubi eadem receptio sub Beati Petri, & Sanctæ Sedis protectione fuisset elargita PER MODUM ENUNCIATIVUM, non autem, prout hic, DISPOSITIVUM, seú ubi eadem receptio NUDE', ET SIMPLICITER esset contenta in Privilegio, non autem vestita APOSTOLICO PRÆCEPTO interdicente omninò Hominibus perturbare Ecclesiam, illiusque libertatem, & Bonorum omnium usum minuere, vel perturbatione aliqua vexare. His enim concurrentibus amplioribus Clausulis, quietum, & à nemine perturbabilem statum præseferentibus, concessa dicitur EXEMPTIO, cujus finis, & effectus est QUIES PERSONÆ EXEMPTÆ* =

36 Sed in re haud dubia quorsùm argumenta non necessaria? Præsto enim sunt alia Apostolica Privilegia, quæ glossa, & expositione non indigent. Reque ipsa præstantissimus Pontifex Urbanus IV. nonne *universos Prioratus, Ecclesias, Domos, Præposituras, & omnia Loca Ordini Sancti Sepulchri subjecta tam in Transmarinis, quam in Cismarinis partibus constituta, & Personas ipsorum* AB OMNI JURISDICTIONE, SUBJECTIONE, ET DOMINIO *Archiepiscoporum, Episcoporum, & quorumlibet aliorum Ordinariorum auctoritate Apostolica* IN PERPETUUM *exemit, &* TOTALITER *liberavit*? Nonne mandavit ideò, ut *Archiepiscopi, Episcopi, & Ordinarii prædicti non auderent Censuram Ecclesiasticam, seú Jurisdictionem aliquam in Prioratibus, Domibus, Ecclesiis, Præposituris, Locis, & Personis præfatis exercere*? Hæc sanè sunt, & non alia ipsissima verba laudati Pontificis *in præterito Summ. num.2. litt. A. B. C.*

37 Effusissimum verò hujusmodi Privilegium nonne consequtivis temporibus sub eadem verborum, & Clausularum formula plenissimè confirmarunt favore universi nostri Ordinis, & peculiaritèr etiam confirmarunt favore Monasterii Miechoviensis, Locorumque omnium ab eo dependentium tùm ipse *Urbanus IV.*, tùm *Gregorius XI.*, tùm *Pius II.*, tùm *Eugenius IV.*, tùm *Martinus V.*, tùm *Julius II.*, tùm *Leo X.*,

tùm *Innocentius XI.* ? Ità planè docuimus in Facto, & ità uberrimè patet ex dissertissimis earum Bullis *in præterito Summario num.* 3., & *seqq. ad num.* 12. Quid ergò firmiùs, quidve plenius Exemptione nostra, cui tot Pontificum adeò illimitata accessit auctoritas? Profectò amplissimus ille recensitus modus *eximendi penitus*, & *liberandi in perpetuum ab omni Jurisdictione, subjectione, & dominio Archiepiscoporum, Episcoporum, Archidiaconorum, & quorumlibet aliorum Ordinariorum* tantam præsefert Exemptionis amplitudinem, quanta nec concipi major, nec fingi etiam potest; punctim. *Lotter. de Re benefic. lib.* 1. *quæst.* 24. *num.* 118., & *seqq.*, *Leuren. in For. Benefic. tom.* 1. *tit.* 31. *quæst.* 874. *num.* 3., *Rot. in Brictinorien.*, *seù Nullius Foropompilien. Jurisdictionis* 28. *Aprilis* 1725. §. *Exordiendo*, & *seqq. coram bon. mem. Cerro*, *in Auximana super bono Jure* 28. *Aprilis* 1749. §. 11., & *seqq. coram bon. mem. Clemente*, ibi = *Ex hisce autem clausulis præstantissima undique diffluunt argumenta constitutæ* EXEMPTIONIS, *quæ ità servanda, & judicanda est, uti ex Privilegiorum inspectione manifestè apparet*. EXEMPTIONEM *profectò* AMPLISSIMAM *in primis indigitant effusissimæ Clausulæ*: PENITUS *eximimus*, & *liberamus*: *Confirmat indè tot* PERSONARUM *enumeratio*, *quot nequeunt post Pontificem præstantiores recenseri*, *à quibus cum eximit*, *exemisse censetur* AB OMNI IPSORUM JURE, *quo potissimum pollent in Exemptos*. *Quævis ergò alia Potestas* NEQUIT *sanè à quopiam alio exerceri*, *quin inscriptam hanc Legem non ex imò convellat* =

38 Vim, & efficaciam nostrorum Privilegiorum non impugnat Adversarius. Contendit tamen, quod juxtà præscriptum eorumdem Privilegiorum sicuti vetustis temporibus noster Ordo subjectus erat Patriarchæ Hierosolymitano, ità justum sit, ut loco ipsius antiqui Patriarchæ debeat hodiè esse subjectus Ordinariorum potestati, & Jurisdictioni. Nihil sanè hac exceptione magis ridiculum. Ille enim Patriarcha, de quo loquuntur nostra Privilegia, non alter erat, nisi quem Canonici Sancti Sepulchri sibi capitularitèr eligerent ex eorum gremio, atque ipsis esset loco Abbatis, quemadmodùm ex Constitutionibus Alexandri III., & Cœlestini III., de quibus *in præsenti Summario Additionali num.* 2. *litt.* B., & C., ibi = *Obeunte verò* PATRIARCHA, *nullus qualibet subreptionis astutia, seú violentia* PRÆPONATUR, *nisi quem Fratres* COMMUNI CONSENSU, *vel Fratrum* PARS CONSILII SANIORIS *secundum Dei timorem*, & *Sanctorum Patrum Statuta canonicè* PROVIDERINT *eligendum* =; Et *num.* 3. *litt.* D., ibi = *Transfretante autem* PATRIARCHA HIEROSOLYMITANO, *Prior*, & *Canonici*, *qui pro tempore in eadem Ecclesia fuerint*, DOMUM, *ut justum est*, ET FAMILIAM *Patriarchæ*, & *omnia*, *quæ ad Jus ejus spectant*, *intus*,

intus, & *extra custodient*, & *regent*, *donec ipse redierit*. OBEUNTE *ejusdem Loci* PATRIARCHA, *nullus ibi qualibet subreptionis astutia*, *seú violentia præponatur*, *nisi quem Canonici ipsius Loci* COMMUNI ASSENSU, *vel Canonicorum* PARS CONSILII SANIORIS *secundum Dei timorem*, & *Sanctorum Patrum instituta canonicè* PROVIDERINT *eligendum* =

39 Quis ergò tantum somniaverit absurdum, ut quia ob fatales temporum vicissitudines cessaverit consuetudo eligendi Superiorem sub nomine Patriarchæ Hierosolymitani, ideò cessata, & extincta dici debeat omnimoda illa Exemptio, quæ universo nostro Ordini fuit generalitèr tributa? Sed quominùs hujusmodi non concipiatur absurdum, fortitèr obstant Apostolica ipsa Privilegia. Felicis enim recordationis *Urbanus IV*, non solùm generali Bulla, de qua *in præterito Summ. num.2.*, penitùs liberavit à quacumque Episcoporum subjectione universum nostrum Ordinem, sed *speciali etiam Privilegio* nominatim directo *ad* PRÆPOSITUM, & *Fratres Ecclesiæ Dominici Sepulchri* DE MIECHOVIA *totaliter*, & *perpetuò auctoritate Apostolica exemit Ecclesiam ipsam* DE MIECHOVIA, & *omnia ipsius* MEMBRA *existentia in Polonia*, *Boemia*, *Sclavonia*, *Russia*, *Hungaria*, & *Teutonia ab omni Jurisdictione*, *potestate*, *ac dominio Archiepiscoporum omnium*, & *aliorum quorumlibet Prælatorum*, ut est præcisa ejusdem Privilegii amplitudo *in præterito Summario num.5. litt.A.*

40 Speciale hoc Privilegium in Præpositum, & Canonicos Miechovienses collatum, peculiaritèr fuisse subinde confirmatum à *Gregorio XI.*, *Martino V.*, & *Julio II.*, jam probavimus ex earum Bullis confirmatoriis *in præterito Summario dicto num.5. litt.C.*, & *num.6. 7. 1.*, & *8.* Quin etiam tempore *Leonis X.* quamvis esset jamdudùm absoleta, penitùsque extincta dignitas Patriarchæ Hierosolymitani, attamen idem Pontifex nedùm duplici Bulla approbavit relatum *Urbani IV.* Privilegium, verùm tertiam quoque edidit Bullam, qua *Præpositum Miechoviensem* constituit in locum *Prioris Generalis*, eidemque plenissimè confirmavit absolutam potestatem, liberumque dominium, & privativam Jurisdictionem, qua jam fruebatur super omnibus *Domibus*, *Prioratibus*, *Ecclesiis*, & *Personis sui Ordinis*, ut singula demonstravimus in Facto, latiùsque habentur *in præterito Summario num.9. 10.*, & *11.* Eadem verò Apostolica Privilegia, scilicèt *Urbani IV.*, & *Gregorii XI.*, aliorumque Pontificum, ac præsertim *Leonis X.* approbata fuisse hac nostra fermè ætate ab *Innocentio XI.*, patet ex ejus Litteris *in præterito Summ. num.12.*

41 Prætereà ex Constitutionibus Ordinis confirmatis à Summis Pontificibus, ex Sacris Visitationibus, ex pœnarum Irrogationibus, ex Testium integerrimis Depositionibus, ex Præ-

posi-

positorum Miechoviensium canonicis Electionibus, ex supremarum Congregationum iteratis Responsis, ex Decretis Summorum Pontificum, ex publicis Inscriptionibus, ex Ordinariorum omnium proportionatis Confessionibus, ex Concordatis demùm cum Sancta Sede initis nihil sanè dissertiùs, nihilque resultat uberiùs, quamquod Miechovienses Præpositi perpetuò renunciati, atque habiti fuerint *Generales, Superiores, & absoluti Moderatores* totius nostri Ordinis, quemadmodum relegere sedulò est *in præt. Summ. num.* 13. & *seqq. ad num.* 38. Extincta ergò Patriarchæ Hierosolymitani Dignitate, & Jurisdictione, si ipsis auctorantibus Summis Pontificibus omnia coaluerunt in unum Generalem Præpositum Miechoviensem, atque hujusce Præpositi electio si non defecit unquam, jam eo ineptiùs contenditur, quod cessatio ejusdem Patriarchæ secum traxerit extinctionem disputatæ Exemptionis in præjudicium nostri Ordinis, cui tributa principaliter extitit, quique suo sub legitimo Capite viget adhùc, sospesque durat, ut firmant ad rem præcisè nostram *Tamburrin. de Jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 15. *quæst.* 11., *Cokier. de Jurisdict. in exempt. par.* 3. *quæst.* 19. *num.* 7., *Lotter. de Benefic. lib. primo quæst.* 24. *num.* 15., *Barbos. de Jur. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 46., *Passerin. de Election. cap.* 10. *num.* 8., *Begnutel. Bibliotec. Canon., & Civil. verb. Exemptio* §. 12. *num.* 96.

42 Atque hinc eversa penitus manet altera illa contraria ineptia, quod nostra scilicèt Privilegia remanserint omninò abrogata, postquam *Innocentio VIII.* placuit Ordinem supprimere Sancti Sepulchri. Hujusmodi enim Innocentianam Suppressionem non obtinuisse in toto Orbe Terrarum, præsertimque locum non habuisse in Regnis Poloniæ, jam demonstravimus ex gravissimis Historicorum testimoniis, & signantèr *Fontan. fol.* 228., *& Samuel. Nakielski pag.* 552. Sed quid hisce Testimoniis opus, si ipsa rei evidentia, & solemnia Facta loquuntur? Ex specialibus namque, eisque ad Innocentianam Suppressionem posterioribus Litteris Apostolicis *Julii II., Leonis X., & Innocentii XI.*, nec non ex tot aliis mox recensitis publicis Actibus, qui post eamdem Innocentianam Suppressionem gesti sunt, & Summorum Pontificum fuerunt auctoritate approbati, si undique resultat, nostrum Ordinem Sancti Sepulchri semper sartum, tectumque fuisse servatum, atque ejus Privilegia jugiter extitisse confirmata, utique non hominem, sed lapidem esse oportet, qui ipsa Innocentiana Suppressione eumdem nostrum Ordinem cum suis Privilegiis periisse in Regno Poloniæ contendit, ut oportunè respondit *Rot. in Calaguritana Jurisdictionis super Negocio principali* 10. *Junii* 1701. §. *Nec Capitulo coram clar. mem. Tremoille, in Leodien. Jurisdictionis* 6. *Decembris* 1726. §. *Militat coram clar. mem. Cincio, in Tirasonen. Jurisdictionis super*

per

per Reservatis 22. *Junii* 1739. §. 5. *coram bon. mem. Canilliac*.

43 Firmis ergò, immotisque nostris Apostolicis Privilegiis, quid indè firmius, quidve magis immotum, quam Exemptio ex ipsis tanta claritate resultans? Ast eorum in comprobationem recurrunt præthereà omnia, de quibus in Facto latè disserui-mus. Et quidèm Cracovienses Episcopos non semel approbasse nostra eadem exemptiva Privilegia, patet ex ipsorum non obscuris agnitionibus *in præterito Summario num.* 5. *litt. E.F.G.H.I.K.* Consimilem approbationem promeruerunt illa apud Supremos Poloniæ Reges, qui ore suo testati sunt, *Canonicos Sancti Sepulchri non alium quempiam, quam Præpositum Miechoviensem IN SUPERIOREM agnoscere, eumque summa cum potestate Præsidem, & Generalem esse totius Ordinis, ex Summorum Pontificum auctoritate constitutum*, uti eorum pandunt Testimonia *in præterito Summario nu.* 26. 27., & 28. Idem etiam constituerunt Responsa Sacrarum Congregationum, & Sanctæ Sedis recentiora Decreta, de quibus *in præterito Summario num.* 29. 30., & 31. Idem nuper ostendit ab acerrimo nostro Contradictore edita publica Inscriptio, dataque *in præterito Summario num.* 32. Idem fassi perpetuò sunt Nuntii Apostolici in Regno Poloniæ, ejusdemque Regni omnes Episcopi, dum optimè conscii de Apostolicis Privilegiis, non dubitarunt umquam admittere in *Præpositis Miechoviensibus* supremam, & absolutam *Generalis* potestatem, quemadmodum *ex præterito Summario nu.* 33. 34. 35., & 36.

44 Deindè quid erit dicendum de judicialibus Confessionibus, deque Decretis, atque Sententiis, Rebusque judicatis, quibus Exemptio nostra extitit toties confirmata? Sic duplici Decreto confirmata extitit in Archiepiscopali Curia Gnesnensi, *præterito Summario numer.* 38., & 39. *litt. A.*, & *B.* Sic Decreto altero eam confirmavit Nuncius Apostolicus, *præterito Summario num.* 40. *litt. B.D.* Sic etiam *anno* 1620., cum Episcopus Cracoviensis in Synodo Diæcesana vehementissimè instaret, quædam edere Decreta contraria Juribus nostri Ordinis, Præpositus ejus temporis, allatis Apostolicis Privilegiis, vindicavit non modo Exemptionem, sed etiam actualem possessionem suam in exercitio plenariæ Jurisdictionis, qua in Canonicos ejusdem Ordinis non fuerat umquam destitutus, *præterito Summario numer.* 44. *litt. C.*, & *D.*

45 Sic præterea *anno* 1719. cum Abbas Commendatarius in Canonicos nostri Ordinis suam exercere vellet Jurisdictionem, non solum rejectus fuit ex maturrimo Responso Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium *in præterito Summario num.* 45.; Verum etiam Responsum hujusmodi confir-

ma-

matum deindè extitit a Congregatione Consistoriali, quæ anno 1725. Decreto suo constituit, *nullam Commendatario in Canonicos dandam esse Jurisdictionem, atque Præpositum per Canonicos eligendum, & per Sanctam Sedem confirmandum esse, eidemque Præposito una cum Capitulo competere Provisionem omnium Ecclesiarum Parochialium a Præpositura Miechoviensi dependentium*, veluti habetur *in præterito Summario numer.* 46. Sic rursus de *anno* 1760. cum Reverendissimus Episcopus Præmisliensis contenderet suæ Episcopali jurisdictioni subjectos esse Canonicos Regulares nostri Ordinis, Sacrum hoc Tribunal nedùm, *præviis tribus Decisionibus*, constantèr edixit, *Ordinem Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri jamdiù amplissimis munitum fuisse Apostolicis Privilegiis, quorum vigore ab Ordinaria Episcoporum jurisdictione eximitur Regularis idem Ordo*; Sed ad formam earumdem *Decisionum* obsignavit etiam definitivam Sententiam, cui demùm fasces submisit Episcopus ipse Præmisliensis, *Summario num.*47. Sic demùm pari omninò Sententia in hoc Sacro Auditorio jam succubuerat *Episcopus Tyrasonensis*, nam post binas elucubratissimas *Decisiones* extiterat *anno* 1739. contrà ipsum definitivè declaratum, *Dominos Priorem, Canonicos, Aliosque deferentes habitum SANCTI SEPULCHRI fuisse, & esse exemptos ab omnimoda Episcopi jurisdictione*, ut declarat eadem Sententia *in præsenti Summar. Additional. n.4. litt.A.*

46 Planè si quid intelligimus, jam res eò perducta videtur, ut sine extrema animositate revocari in discrimen amplius nequeat Exemptio nostra. Præter enim Episcoporum agnitiones, & Summorum Regum amplissima Testimonia, præterque alia multa latissimè exposita, si non deficiunt etiam judiciales Confessiones, & Res non deficiunt judicatæ, profectò controvertere firmitatem ipsius nostræ Exemptionis idem prorsùs est, ac ponere os in Cælum. Hujusmodi enim Res judicatæ nemini dubium, quin firment Statum in subjecta hac generalis Exemptionis controversia, utcumque contra alios Episcopos latæ appareant. Ast summam auctoritatem Rerum judicatarum venerari, non autem impugnare decet, quousque ope Restitutionis in Integrum non fuerint de medio sublatæ, ut generalibus omissis præcisè *Rot. coram Falconer. tit. de Offic. Ordinar. decis.*2. *numer.*19., *in Marsicen.*, *seù Nullius Jurisdictionis super Bono Jure* 7. *Junii* 1700. §. *Fortius coram bon. mem. Muto, in Leodien. Jurisdictionis super Manutentione* 23. *Junii* 1713. §. *finali coram cl. mem. Scotto, in Ratisbonen. Jurisdictionis* 28. *Februarii* 1763. §.9. *cor. Illmo D. Cornelio*.

47 Rebus hisce judicatis, aliisque omnibus hactenus recensitis pondus addit immensum longissima Observantia. Constat

enim,

enim, Præpositos Generales Miechovienses a sæculo decimo quinto sive per se, sive per Commissarios ab ipsis deputatos omni tempore visitasse Ecclesias etiam Parochiales, & Conventus omnes Ordinis Sancti Sepulchri, *Summario num.* 17. Constat etiam, eosdem Generales Præpositos absque ulla contradictione jugiter gessisse in Canonicos sui Ordinis gravissimos actus Suspensionum, Privationum, Remotionum a Beneficiis, Correptionum, & Excommunicationum, *Summario num.* 18. Præterea accedunt Approbationes Canonicorum ad Beneficia etiam Curata, Admissiones Resignationum de eisdem Beneficiis, Nominationes, & Electiones aliorum in locum Resignantium, Deputationes Confessariorum, & Concionatorum, *Summario dicto num.* 18. *litt.G.*, *& seqq. ad litt.GG.*, *& num.* 19. 20., *&* 21. Accedunt formula, & actus Regularis Professionis, quos singuli Canonici explere consueverunt in manibus Generalis Præpositi, obedientiam eidem, ejusque Successoribus, & non alteri vovendo, *Summario numer.* 19. 20. 21. 22. Accedunt Litteræ Dimissoriales pro Sacris Ordinibus a quovis Episcopo suscipiendis, quas secundum formam in Constitutionibus præscriptam tribuere Generales Præpositi assueverunt universis Canonicis proprii Ordinis, *Summario num.* 19., *& num.* 20. *litt.C.*, *& num.* 21. *litt.A.*

48 Facultas autem, & exercitium horum omnium cum dari, & explicari non possit, nisi favore Generalis Præpositi Miechoviensis, ejusque Ordinis præsupponatur omnimoda Exemptio, ita ejusdem Exemptionis subsistentia, & observantia redditur indè exploratissima, ut docuit *Rot. coram Pamphil. decis.* 65. *num.* 1., *coram Ansaldo decis.* 31. *num.* 5., *in Burgen. Jurisdictionis* 3. *Julii* 1713. §. *Constitit coram clar. mem. Barbadico, in Constantien. Jurisdictionis super Bono Jure* 13. *Aprilis* 1714. §. *Cæterum coram clar. mem. Scotto, in Tyrasonen. Jurisdictionis super Reservatis* 12. *Junii* 1739. §.4. *coram bon. mem. Canilliac* ibi = *Observantia vero quoad personalem Exemptionem Prioris, & Canonicorum SANCTI SEPULCHRI ex pluribus emergere visa est, & primo ex Actibus Professionum Regularis Instituti, quos quilibet Canonicus explere consuevit in manibus Prioris, obedientiam dumtaxat vovendo eidem Priori, & Sanctæ Sedi, non autem Episcopo, prout de cætero vovenda foret, quatenus profitentes subjecti esse deberent illius jurisdictioni: Tum Litteræ dimissoriales pro suscipiendis Sacris Ordinibus a quocumque Catholico Antistite, quas expediverunt Priores favore dictorum Canonicorum, quæ Dimissorialium concessio manifestum præbet jurisdictionis argumentum, cum illam impartiantur solummodò Abbates Jurisdictione Ordinaria pollentes* =

For-

49 Fortius urget, prorsusque insuperabilis evadit hujusmodi nostra Observantia, quia nullus exadverso potest legitimus afferri Actus, ex quo aut ipsa, aut Jus ab ea confirmatum valeat in minimo labefactari. Et afferri quidem non potest Actus legitimus. Quæ enim dedimus Exemptionis plenissima Privilegia, illa omnia processerunt ex suprema Auctoritate Sanctæ Sedis, & munita sunt *Decreto irritanti*, & *Clausula sublata*, quemadmodum ex eorum tenore *in præterito Summario num.2.*, & *seqq. ad num.13.* Quicumque ergò Actus in tanta Sæculorum fuga valuerit ab Episcopis fortasse attentari adversus eadem Exemptionis Apostolica Privilegia, ille dici in æternum non poterit efficax, & legitimus, sed vigore ipsius *Decreti irritantis*, ipsiusque *Clausulæ sublata* ita infectus in radice haberi debet, ac si gestus nunquam fuisset, ut nostris in terminis *Rot. coram Ratto decis.* 105. *num.*14., *in Valentina Beneficii* 28. *Novembris* 1732. §. *finali coram clar. mem. Aldrovando*, *in Lauretana Beneficii* 10. *Maii* 1745. §. *final. cor. bon. mem. Canilliac*, *in Papien. Beneficii* 28. *Januar.* 1754. §. 12. *cor. bo. me. Borull.*

50 Rursus observandum maximè est, quod Apostolica ipsa Privilegia omnimodam Exemptionem non particulariter tribuunt uni, aut alteri Monasterio nostri Ordinis, sed eidem nostro Ordini tribuunt in universum, & in perpetuum, ut eorum demonstrat amplissima Littera *in Summario numer.2.*, & *seqq. ad num.13.* Quidquid ergò potest exadversò afferri gestum contra formam eorumdem Privilegiorum, id fanè omne vel fuit a Præpositis contradictum, attentaque violentia impediri non potuit, & hoc in casu nullum inde detrimentum accepit Exemptio nostri Ordinis; Vel contradictum non extitit, & hoc altero in casu conniventia, & incuria eorumdem Præpositorum, aut factum alterius cujuscumque Canonici verti nequit in præjudicium illius Exemptionis, quæ nostro universo Ordini fuit generalitèr tributa, optimè *Piton. Disceptat. Ecclesiastic. part.1. disceptat.8. numer.21.*, & *part. 2. Disceptat.28. numer.129.*, *Valent. de Re Ecclesiastic. part.2. Disceptat.2. num.108.* ibi = *Per quoscumque enim contrarios Actus sive tacite, & per meram conniventiam, sive etiam EXPRESSE a Superioribus nostri Ordinis permissos præjudicium nullum inferri potuit JURI QUÆSITO universo Ordini. Nemò enim non videt, quam facilè RELIGIOSORUM ORDINUM STATUS, ET JURA PERIMERENTUR, si illa Superiorum, qui frequenter mutantur, conniventia, & facto imminui possent; quæ idcircò opinio procedit, etiamsi ageretur DE ACTIBUS EXPRESSIS, nullaque contraria observantia turbatis* =; *Rot. coram Ratto decis.*105. *numer.*13. ibi = *Quibus ità constabilitis, cæteris debilius apparebat alterum objectum in eo constitutum, quod PRIVILEGIA abrogata remanserint per contrarium usum. Quandoquidem cum agatur*

tur de Indultis concessis UNIVERSO CORPORI RELIGIONIS, negligentia Rectorum, & Provincialium nullum afferre poterat præjudicium illius Collegiis =.

51 Et hisce adamussim de causis, atque rationibus Summus Pontifex *Eugenius IV.* sequutus exemplum *Urbani IV.* non solum declaravit irritum, & inane id omne, quod *ex negligentia nonnullorum Priorum nostri Ordinis fuerat ab aliquibus Ordinariis, & Judicibus, dum Schisma duraret, eousque attentatum contra illius Privilegia, & Exemptionem*; Sed declaravit præterea, *omnes, & singulos Processus, nec non excommunicationis Sententias, & quicquid fieri, & attentari inposterum contingeret contra tenorem dictæ Exemptionis, ab eo tunc NULLIUS existere firmitatis*, ut disserit ejusdem Pontificis Bulla *in præterito Summario numer.3. litt. B. C. D. E.*, ipsamque confirmando disserunt etiam aliorum Pontificum sequiores Bullæ, de quibus in *Summario num.4.*, *& seqq. ad num.11.*

52 Quorum è conspectu finimus, ut Pars Adversa assuetos agat triumphos de paucis quibusdam, & antiquissimis Actibus. Quicumque enim illi sint, omnes franguntur ad scopum Apostolicorum Privilegiorum, a quibus irriti jam declarati fuerunt. Sed pateat de singulis disserendi aditus. Sanè inutiliter prædicat Pars Adversa, se interdum dedisse veniam convocandi Capitulum pro electione Præpositorum Miechoviensium, aliquandò etiam Capitulo præfuisse, nonnunquam Præpositos confirmasse, atque juramentum Obedientiæ, & Fidelitatis a Canonicis accepisse. Hæc enim omnia vetustissimis temporibus gesta fuisse, satis constat ex *contrario Summario num.5.*, *& seqq.*, *& num.46. ad num.54.* Nec mirum; nam acciderunt ex obscitantia, & negligentia Præpositorum interdum Sæcularium, aut supremo mandato Regum, qui sibi afferebant Juspatronatus ad Præposituram Miechoviensem, & titulo Commendæ Sæculares præsentabant Præsbyteros, ut *anno* 1677. Sedi Apostolicæ significavit Joannes Poloniæ Rex, *præterito Summario numer.28. litt.A.* ibi = *Nec GENERALATUS Officium fuisse alio tempore QUODAMMODO alteratum nisi eo, cum ANTECESSORES MEI ad eamdem Præposituram per COMMENDAM tenendam præsentaverint*.

53 Ast enim verò a Sæculo superiori, nimirùm ab *anno* 1677.; quo rogante Poloniæ Rege fuit a Sede Apostolica confirmatus *Petrus de Pilca* in Præpositum Miechoviensem, *Summario numer.28. litt.B.*, præsertimque ab initio hujus Sæculi; quo ex Indulto Apostolico, Pactisque conventis cum Summo Pontifice constitutum est, electionem Præpositi Miechoviensis liberè spectare ad Canonicos Regulares nostri Ordinis, eumque esse a Sancta Sede confirmandum, *Summario numer.37. 45.*, *& 46.*, nulla ampliùs sub Episcopo data exti-

tit

tit venia convocandi Capitulum, nullus ejus in electione habetur interventus, neque ulla unquam petita, aut concessa est Institutio, seù Confirmatio, quemadmodum ex *præterito Summario num.* 23. 24., & 25. Patet ergò, quod antiquissimi illi Actus, qui commodè referri possunt vel ad conniventiam Præpositorum, vel ad necessitatem, vel ad studium Ministrorum ipsius Ordinarii suam latius explicare cupientium Jurisdictionem, nullo in numero haberi debeant, nullumque valeant nostræ Exemptioni irrogare præjudicium, ut egregiè respondit *Rot. coram Rembold. decis.* 514. *num.*16., *in Colonien. Jurisdictionis* 10. *Aprilis* 1704. *§. Et ex his coram clar. mem. Priolo, in Constantien. Jurisdictionis super Bono Jure* 13. *Aprilis* 1714. *§. Contraponi coram clar. mem. Scotto* ibi = *Contraponi propterea hactenus dictis nequaquam posse visi sunt* NONNULLI ACTUS CONTRARII *consistentes in eo, quod Vicarii Generales, vel Suffraganei* EPISCOPI *aliquoties præsederint* ELECTIONIBUS *Abbatum, quæque fuerunt etiam aliquando* AB ORDINARIO *confirmatæ; Nam resistebant in contrarium pro enervandis mox dictis Actibus non minus ultimus Status, in quo* ELECTIO *Abbatis expleta fuit absque ulla* EPISCOPI, *vel ejus Ministrorum præsentia, vel Confirmatione, quam etiam illa animadversio, quod* DICTI ACTUS *fieri potuerint ex* CONNIVENTIA *Monachorum, quibus nec in animo, nec in potestate erat* DEROGANDI EXEMPTIVÆ LIBERTATI MONASTERII, *vel ex studio Ministrorum* ORDINARII *inhiantium extensioni propriæ jurisdictionis, cum alias docto de universali* EXEMPTIONE *Monasterii*, OMNES ACTUS IN CONTRARIUM DICENDI ESSENT TURBATIVI, ET ABUSIVI, *ideoque non attendendi* =

54 Apagè hinc asserta fidelitatis, & obedientiæ Juramenta, quæ in eisdem Institutionibus supponuntur per Episcopos accepta a Præpositis Miechoviensibus. Sublata enim, ut mox dicebamus, Institutione, & Confirmatione, sublatum etiam fuit accessorium Juramentum, quod ideo nunc Summo tantum Pontifici exhibetur, *præterito Summario num.*23. *litt.C.D.*, & *num.*25. *litt.E.*. Cæterum hujusmodi Juramenta obedientiæ, & fidelitatis reputari tanti non solent, ut Exemptionem excludant, atque nostri Ordinis subjectionem evincant favore Episcoporum, veluti scitissimè docuit *Gratian. discept. Forens. Cap.*870. *num.*2., & *seqq.*, *Barbos. de Offic.*, & *Potest. Episc. Allegat.*17. *num.*5., & *seqq.*, *Rot. coram Peutinger. Decis.*461. *num.*16. = ibi = *Minus relevant* CONFIRMATIONES *ab Episcopis factæ Abbatum electionis ab ipsis præstitæ, postquàm per Conventum fuerunt electi, non possunt importare* SUBJECTIONEM, *sed tantum* BENEDICTIONEM, *quæ competit* EPISCOPO; *qua responsione tolluntur ea, quæ circa* JURAMENTA *Abbatum dicti Monasterii* IN MANI-

NIBUS EPISCOPORUM præstita dicuntur, cum benedictionem, & non jurisdictionem tribuant = ; Et in Constantien. Jurisdictionis super Manutentione 13. Aprilis 1714. §. Juramenta coram clar. mem. Scotto = ibi = Juramenta similiter FIDELITATIS aliquando præstita per Abbates de servanda reverentia Episcopis Constantiensibus, sicuti non poterant intervertere Jus EXEMPTIONIS non auferentis obligationem EXEMPTI quoad reverentiam debitam Ordinario, in cujus Diœcesi existit, ita neque poterant tollere Abbatis possessionem IN LOCO EXEMPTO, vel illam tradere Episcopo.

55 Melioris non est conditionis vetustissima quædam Privationis Sententia *anno* 1468. edita ab Episcopo Cracoviensi contra Præpositum Miechoviensem. Principio enim non afferuntur Acta ejus Judicii, ideoque resciri non potest, quomodo Judicium ipsum fuerit actum, & quid utraque ex Parte propositum. Illud verò ponderandum serio est, quod eadem Sententia lata fuit contra Nicolaum Præpositum, qui *per Judicialem Inquisitionem inventus, & agnitus fuerat Bonorum Monasterii sui, & Domus DILAPIDATOR, PERJURUS, FORNICATOR NOTORIUS, ADULTER, ET IRREGULARIS, ac multis aliis variis excessibus, & criminibus irremissibiliter irretitus*, ut sunt ipsius Sententiæ præcisa verba in *præterito contrario Summario num.*23., Cum itaque ageretur de gravissimis Criminibus, quæ non tam voto Regulari adversabantur, quam præceptis Dei, quibus Christiani omnes tenentur, mirum non est, si eorum cognitio absque ullo nostræ Exemptionis detrimento ad Episcopum *jure delegato* pertinuerit juxta dispositionem *Text. in Cap.*1. *de Privileg. in* 6., *innovat. per Concil. Trident. sess.*14. *Cap.*4., *Lotter. de Re Benefic. quæst.*24. *num.*77., *Rot. in Recent. decis.* 15. *part.*1. *num.*1., *coram san. mem. Clemente XIII. Decis.* 254. *num.*6. = ibi = *Nam in Causis Criminalibus majoribus procedentibus ob corruptos mores, seu graves excessus patratos CUM LÆSIONE MAJESTATES DIVINÆ, ET HUMANÆ, cognitio JURE DELEGATO competit Episcopo, dummodò ipse procedat per seipsum puniendo, & corrigendo EXEMPTOS vigore SUÆ DELEGATÆ jurisdictionis juxta decretum Concilii Trident. sess.* 14. *Cap.*4. *de Reformatione*.

56 Eoque magis despiciende est hujusmodi Sententia contra Præpositum tot manifestissimis irretitum Criminibus, quia lata ad instantiam non Promotoris Fiscalis Curiæ Cracoviensis, sed ipsorum Religiosorum, qui ob loci distantiam cum provocare ad Sedem Apostolicam commodè non possent, ideò confugerunt ad Episcopum. Quamobrem in solemni Protestatione, quam *anno* 1620. emisit Præpositus Miechoviensis, & quam ipse etiam Cracoviensis Episcopus tunc approbavit, ratamque habuit, meritò refutatum, spretumque fuit hoc ipsum, quod hodiè obtruditur, Ordinariæ Jurisdictionis exem-

exemplum veluti *in nostro praeterito Summario num.14. litt.C.* ibi = *Si quod unquam extat Exemplum animadversionis Episcopalis in Praepositum Miechoviensem, id factum esse ob insignes illius excessus, Religiosis ipsis, quibus ad Sedem Apostolicam OB DISTANTIAM LOCI difficilis fuit recursus, ad Episcopum confugientibus, qui tamen casus nec IN EXEMPLUM trahi potest, & omninò nihil Jurisdictionis Ordinariae potestati adiicit.*

57 Igitur quicquid occasione mox relatae *Protestationis* fuit ex parte Praepositi Miechoviensis deductum, & ab ipso Episcopo Cracoviensi tunc admissum, & approbatum, id certè inverecundum est, ut ab ejus Successore in discrimen nunc revocetur. Et fortius sanè, quia si Episcopus contra *Dilapidatorem bonorum Monasterii sui, perjurum, fornicatorem notorium, adulterum, & irregularem* aliter non processit, nec aliter procedere poterat quàm *jure delegato*, tantum abest, ut inde detrimentum passa fuerit Exemptio nostri Ordinis, quin potius magis approbata, magisque confirmata extiterit, ut animadvertit *Pignatel. Consult. Canonic.58. num.2., & seqq., Rot. coram Ubald. Decis.126. num.18.* = ibi = *Demum nec obstant SENTENTIAE LATAE ab Episcopo contra subditos dictae Abbatiae in Causa Haeresis, quia illae non procedunt ex Jurisdictione Ordinaria, sed DELEGATA, quae competit Episcopo in tali materia etiam contra Exemptos* = ; & *in Ratisbonen. Jurisdictionis super Parochialibus reservatis* 21. *Februarii* 1766. §. 17. *coram Illustrissimo D. Olivatio* = ibi = *Idipsum urget de COERCITIONIBUS, ET AMOTIONIBUS, nam arbitrium removendi irretitos VITIIS, ET SORDIBUS competit Episcopis tamquam Sedis Apostolicae delegatis. Quapropter nihil EXEMPTIONI detrahunt istiusmodi Actus, qui cum ipsa EXEMPTIONE rectè compati possunt, & a DELEGATA IURISDICTIONE metiuntur.*

58 Furfuris non dissimilis sunt, & eisdem omnino extruduntur responsionibus alia Acta *anno* 1539. gesta contra alterum Praepositum Miechoviensem *occasione SCANDALORUM, ET EXCESSUUM citatum in Judicio Episcopali Cracoviensi, & convictum denunciatione, & fama publica de excessibus, & exorbitantiis*, ut legimus ex ipsis Actis in *contrario Summario num.24., & litt.A.*. Nec dissimilis etiam furfuris sunt Acta illa *anno* 1583. ab Episcopo Cracoviensi tentata *contra SIMONEM Praepositum Miechoviensem, quem PERDITE LUXURIOSUM audiebat, & quem sensit re, & nomine esse SIMONEM*, ut eadem Acta loquuntur *in contrario Summario numer.27.*. Talia quoque sunt Acta *anno* 1584. instituta contra *Praepositum Gnesnensem, cujus Hominis tot erant excessus, ut amplius in eo loco tolerari non posset*, quemadmodum ex eorum lectura *in contrario Summario num.28.*. Hisce ergò gravissimis de causis si quandoque nostri Canonici ob distan-

tiam

tiam Loci ad Episcopum confugerunt pro sollicito remedio, non voluerunt utique, nec potuerunt evertere Exemptionem, & Privilegia totius Ordinis, atque ipsi Episcopi si, eisdem rogantibus Canonicis, actum aliquem exercuerunt, nemò sanus dixerit, quod fuerint ideò consequuti Jurisdictionem illam, quam revera non habebant, ut individualiter arguit *Murg. ad Constit. Apostolic. in Addit. ad Decis.* 12. *numer.* 11., *Valent. dict. disceptat.* 2. *num.* 117., *Rot. coram Coccin. decis.* 2070. *num.* 15., *coram Cerro decis.* 10. *num.* 2., *& seqq.*, *in Recent. decis.* 63. *num.* 10. *part.* 5., *decis.* 44. *num.* 11., *& seqq. part.* 7., *cor. Carill. decis.* 97. *num.* 19., *& seqq.*

59 Utiliori consilio regerendæ exadversò non sunt tres illæ Resignationes, quas initio Sæculi superioris Miechovienses Præpositi in manibus Ordinarii expleverunt. Satis enim est animadvertere, quod unus, atque alter resignans Præposituram Miechoviensem minimè fuit Canonicus Regularis nostri Ordinis, sed *Sacerdos Sæcularis* a Rege nominatus, uti *ex contrario Summario num.* 16. 17., & 18.. Accedit, quod hujusmodi Resignationes idcircò emissæ fuerunt, quia Resignantes evecti fuerant ad ampliorem Dignitatem, eamque etiam Episcopalem, veluti *ex eodem Summario contrario dicto num.* 16. 17., & 18.. Jam verò si Resignantes erant *Præsbyteri Sæculares*, & Resignationes si fuerunt prorsus inutiles, quia Præpositura vacat *ipso jure*, cum quis ampliorem consequitur Dignitatem, profectò hujusmodi Actus tribuendi sunt incuriæ Sæcularium Resignantium, quibus explorata non erant nostri Ordinis Privilegia, ut ponderat *Rot. coram Emerix. Jun. decis.* 1204. *num.* 21., *in Carpentoracten. Jurisdictionis* 8. *Maii* 1705. §. *Tantoque magis coram clar. mem. Priolo*, *in Ratisbonen. Jurisdictionis* 15. *Junii* 1764. §. 6. *cor. Emo Zelada*.

60 Ineptit etiam Pars Adversa, dum exagerare assuevit, quod *Sæculo decimoquinto* Cracoviensis Episcopus interdùm dederit Præposito Miechoviensi absolutionem a Censuris. Etenim hujusmodi absolutio tributa fuit Præposito, qui erat *Sacerdos Sæcularis*. Rursus ab Episcopo tam indici, quam revocari potuerunt Censuræ ex *Jure delegato*. Quidquod Episcopus contra illum procedere potuit non uti Præpositum Miechoviensem, sed uti Sæcularem Præsbyterum. Reque vera *anno* 1577. Episcopus censuras indixit, & postea absolvit *Simeonem Lugoski Præpositum Sæcularem* non tamquam Præpositum Miechoviensem, sed tamquam *Possessorem Patrimonii*, seù *Villæ suæ* ob controversiam super quadam Decima, ut *ex contr. Sum. n.* 26., & 28.

61 Sunt indolis omninò ejusdem nonnulla Acta judicialia, quæ Episcopali in Curia Cracoviensi extolluntur gesta: Non enim quia *vetustis temporibus* aliquis ex Canonicis nostri Ordinis, sive aliquis eorum Præpositus venerit ad eamdem Curiam,

id

id argumento eſſe poteſt, quod perierit Exemptio, & ipſe noſter Ordo ſubjectus remanſerit Epiſcopali Jurisdictioni. Animadvertendum præterea eſt, quod complures ex contrariis Actis geſti fuerunt ad inſtantiam Superiorum noſtri Ordinis, quibus *tamquam Actoribus* integrum erat ſibi Forum eligere ſine aliquo ſuæ Exemptionis detrimento. Alii verò geſti quidem videntur contra ipſos Præpoſitos, ſed iſti in Jus venerunt coacti *metu Cenſurarum*, & vi præpotentium Epiſcoporum, vel quia erant Præsbyteri Sæculares, ideoque proprio, ac peculiari ſuæ Familiæ nomine ad Judicium deſcendebant. Quidam etiam ex eisdem Actis pertinent ad Cauſas Decimarum, nec non tenuiſſimæ ſummæ pecuniariæ, ac miſerabilium Perſonarum, quæ trahi propterea non potuiſſent ad Nunciaturam Apoſtolicam, quæ Varſaviæ commoratur, & longo diſtat itinere *biſcentum*, & ultra milliarium a Miechovia, ut recognoſcere enixè ſupplicamus ex ipſis Actis *in contrario Summ. n.* 32. 36. 38. 40. 41., & 42.

62 Deterioris ſunt conditionis indifferentes quidam, & extrajudiciales Actus, qui ſuperiori ætate in Officio Curiæ Cracovienſis aſſeruntur geſti. Quandoquidem ipſi reſpiciunt plerumque vel Inſcriptiones Cenſuum ad Monaſterium Miechovienſe ſpectantium, vel Quietationes, vel Conſtitutiones Procuratorum, qui ſanè Actus utpote voluntarii, eoque conſilio expleti in publico Officio, ne rerum memoria periret, cum expleri ubique potuerint, haud ſanè arguere poſſunt noſtri Ordinis ſubjectionem. Approbationes verò paucæ ſive commutationis voluntatum, ſivè Concordiæ, ultraquamquod tributæ fuerunt, petentibus Sæcularibus, quorum favorem reſpiciebant, tametſi conceſſæ aliquando videantur rogantibus Præpoſitis, inhabiles adhuc ſunt ad ſubverſionem noſtræ Exemptionis. Non eſt enim a jure devium, quod provocetur ad Epiſcopum, ut confirmet, probetque contractum ſuper Bonis Eccleſiaſticis. Sed redit ſemper, & fataliter urget animadverſio illa, quod per hujuſmodi Actus nequaquam poterat detrimentum inferri Privilegiis univerſi Ordinis, niſi ipſius Sanctæ Sedis, a qua eadem proceſſerunt Privilegia, acceſſiſſet conſenſus, *Vitalin. in Clem.* 1. *num.* 57. *de Offic. Vicar.*, *Calder. conſ.* 5. *num.* 1, *Surd. conſ.* 47. *num.* 25., & *Rot. deciſ.* 1278. *num.* 3. *coram Seraphin.*, & *dec.* 239. *numer.* 16., & 17. *part.* 8. *Recen.* ibi = *Ex quo enim Privilegium fuit conceſſum Eccleſiæ, ut ſupra fuit firmatum, Abbas non potuiſſet ei præjudicare, ſed requirebatur Sedis Apoſtolicæ Conſenſus, dum ei dicta Abbatia eſt immediatè ſubjecta* =

63 Quorſum tamen ſumus adeò ſolliciti de ſingulis contrariis Actibus? Cum enim ipſi ſint vetuſtiſſimi, ſint interrupti, ſint æquivoci, ſint oppoſiti Apoſtolicis Privilegiis, & fuerint etiam perpetuò contradicti, nihil indè juſtius, quamquod ſuffocari debeant a longa illa ſerie Actuum, qui dantur a nobis,

qui-

quique cum locupletiores sint, magisque continuati, & recentiores, nec non consentanei ad eadem Apostolica Privilegia, utique potiores dijudicari debent, & contrariis sunt præferendi, ut dixit *Rot. coram Priolo decis.* 338. *num.* 18., *in Carpentoraten.*, *seù Valreacen. Jurisdictionis* 11. *Junii* 1728. *§. Ac demúm coram clar. mem. Aldrovando* ibi = *Ac demum quatenús aliqui ex propositis Actibus respiciant tempus subsequens, vel dijudicari debent abusivi, vel conflictati ab aliis Actibus eidem Regulamento consentaneis, & adhæsivis, quibus utique potiorem vindicat relevantiam uniformitas, & consectaria qualitas ipsis inhærens relativè ad prædictum Regulamentum* =

64 Ipsa insupèr nostra Apostolica Privilegia, ipsa sunt, quæ perpetuò vetant, quominus de contrariis Actibus sit ulla ratio habenda. Eadem namque Privilegia nostra suam ducunt originem ante *annum* 1162., fueruntque à Summis Pontificibus pluries confirmata, pluriesque renovata *ad annum usque* 1680., quo amplissimum Confirmationis robur illis impertitus est Pontifex Maximus *Innocentius XI.*, ut relegere est *in præsenti Summario Additionali num.* 1. 2., & 3., & *præterito Summario num.* 1., & *seqq. ad num.* 12. Omnes itaque contrarii antiquissimi Actus è conspectu tot Apostolicarum Confirmationum, quæ immanem implent *quinque*, & *ultra Sæculorum* decursum, piaculum sanè esset, si aliquo in pretio haberentur, *Rot. coram Merlin. decis.* 374. *num.* 3., *coram Emerix Jun. decis.* 189. *num.* 8., *in dicta Carpentoraten.*, *seu Valreacen. Jurisdictionis* 11. *Junii* 1728. *§. Quamquam coram clar. mem. Aldrovando* ibi = *Quanquam verò ad elidendum hujus Regulamenti robur objecerint successivam ipsius inobservantiam, allegando propriam quasi possessionem expediendi præmemoratos Jurisdictionales Actus, de hac tamen allegata inobservantia nulla ad præsentem effectum haberi posse visa fuit ratio, quia ipsa semper remaneret inefficax, & irrelevans E' CONSPECTU TOT CONFIRMATIONUM, quas à tempore originariæ ipsius editionis supervenisse constat usque ad annum* 1694., *per quarum sanè CONFIRMATIONUM seriem inducta fuisse videtur species iteratæ renovationis, inallegabilem reddens quamcumque ipsius inobservantiam*.

65 Eodem respectu post tot Apostolicas Confirmationes urgentur contrarii asserti Actus à nostris Judicialibus Decretis, Rebusque Judicatis. Præter enim duo illa Judicialia Decreta, quibus Archiepiscopalis Curia Gnesnensis nostram approbavit Exemptionem, *præterito Summario num.* 38., & 39.; Recurrit alterum, quod *anno* 1747. in confirmationem ejusdem nostræ Exemptionis judicialitèr edidit Nuncius Apostolicus, *præterito Summario num.* 40. *litt. B. D.* Recurrit solemnis *Res Judicata* ab hoc Sacro Tribunali *de anno* 1739. obsignata contra Episcopum Tirasonensem, sicuti *ex præterito Summario*

*rio Additionali num.*4. Denique noviſſimis hiſce temporibus, ſcilicèt *anno* 1760. Sacrum idem Tribunal contra Epiſcopum Præmislienſem Sententiam evulgavit, qua poſt plures, eaſque egregias Deciſiones definivit, *non conſtare de ſubjectione Eccleſię noſtri Ordinis ejus Juriſdictioni Epiſcopali neq. quoad res, neque quoad Perſonas*, quemadmodum ex *præſenti Summario n.*47. Adverſus itaque Apoſtolicas, eaſque plurimas Confirmationes, & adverſus judicialia Decreta, Reſque ab hoc Sacro Tribunali judicatas non aliter contrariis turbativis, & vetuſtis Actibus aliquid tribueretur, niſi tota reclamante Juriſprudentia, de qua oportunè *Rot. in Burgen. Juriſdictionis* 3. *Julii* 1713. *§. fin. coram clàr. mem. Barbadico*, *& in Spoletana, ſeu Nullius Ferentilli Juriſdictionis ſuper Negocio Principali* 9. *Januarii* 1728. *§. Denique cor. bon. mem. Gamacheſ.*

66 Perperam urgeret Pars Adverſa, quod ab Epiſcopis datæ ſemper fuerint, & tribuantur adhuc Inſtitutiones omnibus illis, qui a Capitulo electi, & a Præpoſito approbati præficiuntur Curę Animarum in Eccleſiis Parochialibus noſtri Ordinis. Hujuſmodi enim Inſtitutiones, quæ propriè non dicuntur collàtivę tituli, ſed merè *auctorizabiles*, locumque habent in Beneficiis etiam Regularibus, quibus adnexa eſt Cura Animarum, non detrahunt Exemptioni, minuſque ſubjectionem important Epiſcopali Juriſdictioni, ut agens de ipſiſſimis Inſtitutionibus datis ab Epiſcopo Præmislienſi noſtris Beneficiatis, individualiter definivit *Rot. in Præmislien. Præpoſituræ* 27. *Februarii* 1760. *§.* 11. *coram Reverendiſſimo P. D. Decano* ibi = *Nihilque adverſantur Inſtitutiones per Epiſcopos Præmiſlienſes Prævorſcenſibus Præpoſitis datæ. Quum enim res ſit de Præpoſitura adnexam habente Curam Animarum, Adminiſtrationemque Sacramentorum, Inſtitutiones nihili officiunt Eccleſiæ Conventualitati, quippè quia non intelliguntur propriæ, ac tituli collativæ, ſed merè authorizabiles, quæ locum habent in Beneficiis, & Eccleſiis etiam Conventualibus adnexam habentibus Curam Animarum, & adminiſtrationem Sacramentorum, quorum reſpectu Regularis Præpoſitus ſubeſt Epiſcopali Juriſdictioni, utcumque ex Voto Obedientiæ Superioribus Ordinis in reliquis ſubjectus remaneat*,

67 Infirmiores ſunt, quatenùs rememorarentur, approbationes Concionatorum, & Confeſſariorum. Nam quod attinet ad Concionatores, poſtquam illi a Generali noſtro electi ſunt, non quidèm approbationem, ſed tantum benedictionem petunt a Locorum Ordinariis, *præterito Summario num*, 21. *litt.E. F.*. Quod vero ſpectat ad approbationes Confeſſariorum, cum hæc Juriſdictio etiam in Exemptos reſervata ſit Epiſcopis a Tridentina Synodo, & notiſſima *Conſtitutione Gregoriana*, hinc ſimilium actuum exercitium minimè oſtendit Juriſdictionem Ordinariam, uti monuit *Rot. in Auximana Manutentionis* 5. *Maii* 1740. *§.* 11. *coram Eminentiſſimo Elephantutio*,

in

in Converſana Juriſdictionis 27. *Novembris* 1750. §. 10. *coram bon. memor. de Vais*, ibi = *Nullaque vis fieri poteſt in eo, quod Epiſcopi Converſanen. ſemper invigilaverint ſuper Clauſura Monialium, quodque conceſſerint licentias convocandi Capitulum, ac approbaverint Confeſſarios, & Concionatores, quia cum hujuſmodi Juriſdictio in Exemptos reſervata fuerit Ordinariis a Sacro Concilio ſeſſ.* 25. *cap.*4. *de Regular.*, *& in Conſtitut. Gregoriana, exercitium horum Actuum nihil concludit ad probandam jurisdictionem Ordinariam a ſuprarelatis Actibus omninò excluſam*.

68 Everſis omnibus contrariis Actibus, cavendum eſt à quibuſdam Statutis, quæ *anno* 1533. afferuntur condita ab Epiſcopo Cracovienſi, quæque extant *in contrario Summario num.*45. Cavendum etiam eſt à quadam Relatione, quam *anno* 1707. edidit Secretarius Regis Poloniæ, quæque refertur *in Summario præteritæ contrariæ Reſponſionis num.*2. Reſpectu namque eorumdem Statutorum, pertinent ipſa ad Leges, quas cum conſenſu Præpoſitorum, & Canonicorum ferre placuit non pro Ordine univerſo, ſed pro illis tantum Canonicis Regularibus, qui Studiorum cauſa ad Univerſitatem Cracovienſem mittebantur. Annuos namque Cenſus, uti patet *ex eodem contrario Summario num.*45., dictæ Univerſitati donaverat Thomas Præpoſitus Miechovienſis, ut in eam reciperentur ſui Canonici, atque ad litteras inſtituerentur. Oportuit ergo leges dicere, quibus hæc oneroſa donatio eſſet accipienda, & quibus recipiendi forent Canonici. Quis autem aliquam ſpeculari inde poterit conjecturam Epiſcopalis Juriſdictionis in everſionem noſtræ Exemptionis? Actus profectò magis extraneus, magiſque alienus à re noſtra ſicuti fingi non poteſt, ita eo nihil ineptius, ut dixit *Lotter. de Re benefic. lib.*1. *quæſt.*24. *num.*248., *Rot. in Marſicen.*, *ſeú Nullius Juriſdictionis* 7. *Junii* 1700. *num.*39. *coram bon. mem. Muto*.

69 Ad recenſitam verò quod pertinet Relationem dicti Regii Secretarii, ex eo tantum eſt illa deſpicienda, quia aſſerit, *Monaſterium Miechovienſe nullam habere Conventualem Domum in Polonia*, & Parochiales, quas poſſidet, Eccleſias, *non dependere ab eodem Monaſterio Miechovienſi, ſed omnes principaliter regi, & dependere ab Epiſcopis*. Id enim omne falſiſſimum eſt, nam inter *Domus Conventuales*, quas in Polonia habet noſter Ordo, recenſetur tum illa *Sancti Spiritus in Prævvorsko*, eamque eſſe Conventualem, & conſtare de ejus Conventualitate, ac *adnexum habere Monaſterium Canonicorum Regularium S.Sepulchri ibidem degentium*, definivit Sac. Tribunal *in allegat. Præmislien. Præpoſituræ ſuper Conventualitate* 22. *Januarii* 1761. *coram R̃mo P. D. Decano*, cujus verba referuntur *in præſenti Summario Additionali num.*5., tum etiam illa *S. Hedvigis* apud Cracoviam, *eodem Summario Additionali num.*6.. Quod autem Parochiales Eccleſiæ *non dependere*

pendeant à Monasterio Miechoviensi , sed ab Episcopis , id etiam falsissimum est, & falsissimum evincitur ex tot Actibus Visitationum, electionum, remotionum, translationum Pastorum ab una ad alteram Ecclesiam , de quibus omnibus à Præposito Miechoviensi expleri solitis absque ulla Episcoporum ingerentia , latè patet *in nostro præt. Summ. nu.* 17. 18. 19. 20. & 21.

70 Constito ad evidentiam usque de firmissima Exemptione nostri universi Ordinis ex Apostolicis Privilegiis , ex Rebus judicatis , ex constantissima Observantia , & ex aliis invictissimis monumentis , atque constito etiam de summa infirmitate contrariorum Actuum , quibus eadem nostra Exemptio in discrimen revocari frustrà contenditur ; Profectò impugnari exinde quemadmodum nequit optimum Jus nostri Rm̃i Generalis , nostrique universi Ordinis , ità Manutentio denegari eisdem non potest juxta quotidianum monitum , de quo *Rot. in Leodien. Jurisdictionis super Manutentione* 23. *Junii* 1713. *§. fin. coram clar. mem. Scotto* , *in Ratisbonen. Jurisdictionis super Manutentione* 21. *Februarii* 1766. *§. fin. cor. Em̃o Zelada* .

Quare &c.

Joseph Aurelius Missini)
Joachim Pescatori)
Franciscus Vasselli) *Advoc.*
Joannes Devoti)
Dominicus Franci.

R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis
Super Bono Jure.

P R O

Rm̃o D. Matthæo Buydecki Præposito Generali Canonicorum Regularium Ordinis SS. Sepulchri.

C O N T R A

R. D. Promothorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Cracovien.

Gg

Restrictus Facti , & Juris.

19

Typis Lazzarini 1777.